OCTAVIANI MAGII IC. CLARISS.

DE LEGATO LIBRI DVO.

In vsum Iurisprudentiæ studiosorum nunc primum in Germania in lucem editi.

Ex Bibliotheca clariss. I C. MARQVARDI FREHERI consiliarii Palatini.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDXCVI.

OCTAVIANI MAGII DE LEGATO

AD AMPLISSIMVM VIRVM ALOISIVM MOCENICVM, Equit. Senat. Clariss.

PRÆFATIO.

MAGNVM *quiddam, vel potius singulare, & vere diuinum est, quod, præpotentis, & immortalis Dei munere, est hominum generi tributum: nempe animus rationis compos, & æternus, quo nihil ab ipso sapientissimo genitore est excellentius procreatum. nam cum uniuersum hunc mundum initio constituisset, ac nobilissimum animal effecisset hominem, cuius sola corporis figura, & species pulcherrima omnium formam vinceret animantium, dedit illi in primis immortalem animum, quo differret a brutis, ceterisque antecelleret animalibus; quo tantos huius mundi ornatus, tantas varietates, tantam rerum pulchritudinem suspiceret, & contemplaretur; contemplatio autem necessari-*

am daret ei cognitionem ad beate viuendum, vnde omnes rerum causas; cæli conuersionem, astrorum cursus, admirabilem denique ipsius Dei sapientiam, potentiam, & bonitatem perciperet. quid enim humana conditione miserius, si nos in tot rerum præstātißimarū ignoratione versaremur? deinde vero dedit homini mentem diuina prouidentia, vt, ratione duce, quæ nostræ est quasi quoddam vitæ lumen, possemus honeste viuere, id est, eum intelligentia rerum omnium, quas in terris genuisset communis natura parens; atque etiam eadem magistra ratione, quæ inessent in mundo, humani generis ad vsum referremus; ac modum vitæ degendæ, rebus gerendis; prouinciis, & ciuitatibus administrandis; constitueremus. itaque & ad intelligendum, & ad agendum homo natus videtur esse. Vtrunque autem præstabit, meo iudicio, perfecte nemo, nisi eius in primis animus doctrina excolatur. at qua doctrina? nimirum, omnium laudandarum artium procreatrice Philosophia, quæ regina sapientum *iure optimo solet appellari. In hac vna*

Dei,

Dei, & vniuscuiusque nostrûm cognitio; veri iudicium; rerum abditarum notitia continetur. ab hac vna pendent omnia fere iura, omnes leges, mores, instituta, & administrationum genera, quæ magnos nobis, in communi vitæ consuetudine, afferunt vsus: porro autem perturbationum moderationes, &, quod caput est, totius humanæ vitæ tranquillitas. Ego vero cum res in philosophia tam graues, tamque præclaras intellexissem contineri, ad eam ita me iampridem applicaui, ut ab his studiis diuelli nullo modo videar posse: in quibus eo consumo libentius id temporis, quod mihi de Reip. negotiis datum est, vt meas non modo singulas actiones, sed etiam cogitata, & dicta ad virtutem conformem; ac de mea patria, qua mihi nihil est carius, ita incendar studio benemerendi, vt si mihi mors, eius causa, sit oppetenda, præclare mecum actum existimem. Ac quoniam patria ipsa vtitur opera nostra, qua fortasse, vt spero, in posterum vtetur magis, putaui cõuenire officio meo, publicis in negotiis diu multumque versari: intelligebam enim,

me rem valde mihi ipsi vtilem, & e Republ. facturum, si ad eam doctrinam, quam hauseram philosophorum e fontibus, adiungeretur rerum vsus, qui omnium sapientum præcepta superaret; atque etiam peregrinatio, vnde maxime prudentia comparatur, cum ob multorum hominum consuetudinem, & conuictum; tum ob variarum gentium, ciuitatum, morum, & institutorum cognitionem. quibus quidem factum est rebus, vt voluptatem maximam ceperim, me tecum primum a Senatu Romam esse missum, Mocenice *clarissime, in nobilissima illa tua ad* Paulum IIII. *Pont. Max. legatione, quam etiam Reipubl. nomine, Paulo mortuo, apud* Pium IV. *obiisti: quo tempore mihi oblata est occasio discendi complura, quæ mihi magno vsui semper erunt. nam & præclara quædam in aliis summis viris animaduerti; & in te ipso multa eximia notaui atque immortali laude dignissima. Cum enim tu naturali quadam, & admirabili perpetuo fuisses in patriam charitate, ad omnia, quæ tibi e Rep.*

vide-

videbantur, & ad causam publicam sustinendam, ita & animo, & consilio paratus eras, vt te clarissimum, & spectatissimum virum rerum gerendarum vsu praeditum, tanta prudentia, quae tua propria est, tanta diligentia, tanta comitate, & grauitate, maxima Reipubl. agentem negotia omnes suspicerent. Gratus in primis eras, atque probatus Pontifici; carus ceteris principibus viris, iucundus omnibus, merito. etenim ad generis splendorem, & amplitudinem tuam est tibi diuinitus adiuncta singularis sapientia, & eloquentia; summa illa animorum conciliatrix liberalitas; incredibilis probitas & humanitas; multiplex disciplina; ornamenta virtutis omnia. Nihil a me in praesentia commemorabitur de tua ad Carolum V. *legatione, cuius onus obeundae suscepisti, difficillimis illis Caesaris temporibus, quibus ipse erat in castris, eumque non sine magno periculo semper es secutus; ac nihil etiam dicam de pratura Patauina, in qua quidem ea gessisti, quae a cunctis summa cum admiratione laudātur. Sed tibi iure omnes eos*

tributos esse honores affirmabo, qui maximi tribui possunt senatori optimo in omni genere senatorii muneris excellenti: de quo tam praeclarum factum est iudicium, ut, cum pauloante ageretur de eligendo summo praefecto terrestrium copiarum, qui annuum tempus conficeret, cum summa potestate, & auctoritate, in lustrando exercitu, cunctisque urbibus, atque oppidis inuisendis, incredibili omnium consensu, amplissimo huic muneri sis praepositus. quo tempore me apud te esse debere, multis de causis, sum mirifice laetatus. Te vero quisque ciuem appellat natum Reip. tuorumque maiorum imitatorem; te eum esse praedicat, unde virtutis, & probitatis exempla petenda sint; haec una demum omnium vox est, te, cum tres antea nobilissimae tuae familiae praestantissimi viri huius Reip. Principes fuissent, quartum in hoc amplissimo dignitatis gradu locatum iri. quod si mihi, ut spero, & opto, aliquando continget ut videre possim, gratulabor tibi, quod eum honoris gradum adeptus eris, qui iamdiu tuae virtuti debeatur; ac florentissimae huic Reip. magis, quod

tantus

tantus erit illi princeps diuino munere donatus. Dum igitur multa memoria, & imitatione dignißima tum in te, tum in aliis sapientißimis hominibus essent a me, dum Romæ commorati sumus, animaduersa, post reditum in patriam, sum missus in Galliam cum Marco Antonio Barbaro, *amplißimo, atque ornatißimo viro; qui, cum turbulentißimis temporibus difficillimam legationem suscepisset, animi excelsi magnitudine, singularique virtute multorum gloriam superauit. nam cum, nescio quo fato, flagraret periculosißimo bello cuncta Gallia; regnumque florentißimum ciuilibus discordiis, propter religionis dißidium, conflictaretur, nunquam in illo summum consilium, magna prudentia, summaque diligentia desiderata est. Ego vero cum de præstantißimo quoque hoc homine multa quotidie eximia discere potuissem, quamuis in maximis quidem periculis versatus essem; magnum tamen cepi fructum illius peregrinationis; plurimarumque rerum, quæ ad publicam administrationem pertinent, vsum mihi comparaui.*

nec labores quidem vllos, pericula, vigilias, aut ſumptus vnquam ægre tuli, vt Reipubl. operam nauarem, non honorum ſtudio, ſed patriæ charitate excitatus, in qua quidem, veteri maiorum meorum inſtituto, conceßi antea, aut concedam in poſterum nemini. ſic enim bonum ciuem, atque hominem nobilem, liberaliterque educatum decuit omni tempore. Sed cum ipſius philoſophiæ ſtudio, vt initio dixeram, iamdiu incenſus eſſem, complexus eram in primis eam partem, quæ in agendo verſaretur, vt optimis eius præceptis inſtitutus ad publica negotia referre me aliquando poſſem multo melius. eius vero philoſophiæ cum pars præcipua eſſet adminiſtratio ciuitatũ, in quarũ adminiſtratione cõtinerentur leges, rei militaris diſciplina, ſtudiumq; rerũ agendarũ. mihi quidẽ (quod meæ vitæ rationi maxime conſentaneũ videbatur) quid de ſapientißimorũ hominũ ſcholis ad res gerendas didiciſſem, erat hoc tẽpore explicandũ. Qua de cauſa minime alienũ fore exiſtimauim⁹ ab inſtituto noſtro, ſi literis mãdaremus ad vſum noſtrum ea, quæ obſer-

uaui-

uauimus in publicis quibusdam personis, quarum ex numero unã nobis proposuimus describendam, de qua nemo, quod ego sciã, disseruit vnquam antea; idest, legatũ generatim omnium principum. in quo quidem formando, aut quærendo dedimus operam, quantum in nobis fuit, ne quid prætermissum, aut relictum videatur ex iis rebus, quæ sunt in legati persona maxime requirenda. Sane perfectũ legatum spectauimus, cuius formã habebamus animo cõprehensam; atq; hac in re sumus imitati doctissimos, & eloquentissimos viros, Platonem, Xenophontẽ, & M. Tullium, quanquam Plato descripsit Rempubl. cuius imaginem constat vidisse neminem; Xenophon talem expressit Regẽ, ad effigiem iusti imperii, qualis ex omnium memoria seculorum, nusquam fuit; Cicero item Oratorem formauit suum, qualem nulla vnquam tulit ætas. Verum ea, quæ sunt perfectissima, quibus addi nihil omnino possit, prudentissimi philosophi, propter hanc causam, vt opinor, cõstituerunt, vt in hãc perfectionẽ, & absolutionẽ, quasi quandã in ideã intuentes homines, si minus eam

consequi possint imitatione, ad eandem tamen proxime studeant accedere voluntate. Exstabit quidem opus de legato, quod multa fortasse habuit ad explicandum difficilia, duobus distinctum libris, quos ego scriptos (non enim digni sunt vt edantur) ad te in primis esse mittendos, duabus potissimũ de causis, iudicaui; quarum altera est, quia cum tu ita semper sustinuisses legati personam, vt tibi ad perfectionem, & ad summam gloriam nihil deesse amplius videretur; libri, in quibus de perfecto legato agitur, tibi iure debebantur, cuius exemplum te quoque ipsum habemus ad imitandum: altera est causa, quamobrem tibi hic liber erat a me præcipue dicandus; quia cum tu bene de me ita sis meritus, nihil vt vnquam prætermiseris, quod ad meum, totiusque familiæ nostræ commodum, ac dignitatem attineret, ego, qui quam gratissimus cognosci erga eos, quorum beneficiis sum deuinctus, in omni vita studui, quo potui genere officii, & gratum meum animum & summam meam in te obseruantiam declaraui.

OCTA-

OCTAVIANI MAGII DE LEGATO

LIBER I.

De dignitate legati, CAP. I.

INSTITVENTI mihi librum conſcribere de legato, id eſt, literis mandare quam in tã graui perſona perfectionem, abſolutionemque deſidero; venit in mentem vereri, ne hic noſter labor; ſi quando acciderit, vt, inuitis nobis, clarorum, & eruditorum hominum in manus forte perueniat, in varias reprehenſiones incurrat. etenim multi in primis nos fortaſſe arrogantiæ accuſabunt, quod de re tanta diſſerere auſi ſimus, de qua ab antiquis; viris ſummis ingeniis, exquiſitaque doctrina, nulla vnquam ſint, aut Græcis, aut Latinis litteris præcepta tradita: deinde vero, quod nos non admodũ ætate progreſſi; paruo rerum maximarum vſu; mediocri exercitatione dicendi; non multis denique doctrinæ, atque prudentiæ, quæ hic maxime requiritur, adiumenti, magnæ ſuſceptæ rei opprimi onere maluerimus, quam id, propter infirmitatem animi,

vnquam deponere. Erunt etiam forsitan complures, quibus tota hæc nostra ratio quærendi, atque formandi perfectum legatum prorsus displicebit: item alii multa multis in locis breuiter, & acute dicta; ornate, & eleganter explicata; prudenter in re, qua de agitur, intexta, atque etiam collecta sapienter fortasse desiderabunt. Postremo futuros aliquos suspicor, qui nos inanem laborem, & minime necessarium suscepisse iudicent, si hæc a nobis conscripta fuerint eo cõsilio, vt Venetæ iuuentuti præcepta traderemus: videtur enim Veneta in primis iuuentus præceptis abundare rerum omnium, quę ad Reip. administrationem spectant. Ea vero, quę pertinent ad legationem obeundam, haurienda esse tum ex veteribus rerum gestarum monumentis, tum ex nostrorum téporum historiis. Hæc igitur, quæ paulo ante commemoraui, multi, vt opinor, ad reprehendendum arripient. Contra quos omnes, qui iudicare posse videantur, minime nobis dicendum erit; nihil enim aliud hæc vitia, si in tot delabemur, his in libris, ad quos scribendos aggredimur, habere videbuntur iustæ, aut saltem probabilis excusationis, nisi quod hi quasi commentarii a nobis scripti sint eo consilio, vt ita comprimerentur, nullo vt vmquam tempore arbitraremur emanaturos; cum maxime semper veriti essemus repre-

reprehensionem doctorum hominum, atq; prudentium. ii vero præcipue scripti videantur ad nostram tantum vtilitatem, ne aliquãdo nobis exciderent ex animo ea, quæ, vsque dum Romę, atq; in Gallia spiritum duximus, diuturna rerum obseruatione, didicimus in legato maxime requiri. Quod nobis ne faciamus, interdictum minime opinamur. Difficile quidem opus est, tantamq; sine dubio rẽ suscepimus, quantam vix consequi vel eloquentissimus quisq; possit. Sed non tam perficiundi spe, quam experiundi voluntate. nã si minus id multo labore, industria, ac diligẽtia perficere poterimus, non erunt, vt mea fert opinio, nostri ad res pręclaras conatus omnino improbandi. Propositũ igitur nobis est formare perfectum legatum; id est, disserere quid eum deceat, qui mandata deferat, atque agat negotia sui Principis, cuius sit interpres, & curator mandatorum externis in locis. Ac futurus quidẽ nobis sermo est hoc tempore de illa persona, quæ mitti a principibus solet ad res repetendas, ad bella indicenda, ad fœdera facienda, ad omnia deniq; publica gerenda negotia, cum mandatis, vnde ea, quæ agi suo arbitratu nolunt Principes, quodammodo pendẽt. Is est nobis quærendus in primis, quem paulo ante nominaui; huius eximia quædam nobis est exprimẽda species, his in libris, in quibus quidem

ipſius primum legati dignitas, & officium; deinde vero, quibus is artibus, ac doctrinis inſtructus; quibus virtutibus, atque ornamentis præditus eſſe debeat, facile declarabitur. Singularem ergo virum, & admirabilem, regendæ ciuitatis ſcientiſſimum; in maximis, publicisque rebus verſatum, omni liberali doctrina, omnique laude cumulatum; in omni denique genere virtutis perfectum fingere, & conformare, huius inſtitutæ ſcriptionis eſt. vnde percipi facile poterit, qualem, quantumque velimus eſſe legatum noſtrum, a cuius dignitate nunc potiſſimum ordiendum arbitramur. Vetus quidem cōſuetudo eſt, optimumq; inſtitutū decernēdę legationis, quod diuinitus nobis traditum ad omnes deinceps gentes, & nationes tranſlatum fuit: ſic, vt nullum vnquam fuerit ex omni memoria, in Perſarum, Aſſyriorum, Græcorum, aut Romanorum imperio tempus, quo non ſint decretæ legationes. Antiquum autem, & præclarum hunc morem eſſe conſtat, quod ita legatio in omni regno, atque in omni republica neceſſaria eſt, vt nulla, ſine ea, adminiſtrationis eſſe perfecta ratio videatur. Itaque merito apud antiquos ius legatorum ſanctum, & inuiolatum, iure gentium habitum eſt; quod quidem teſtantur fere omnia rerum veterum monimenta. Etenim violare legationem, non modo apud

Græcos,

Græcos, ſed apud Barbaras etiam nationes grauiſſimum crimen ſemper fuit. Ac Græci quidem legatorum nomen ſanctum prorſus affirmabant eſſe. apud Romanos vero legati perſona omnium ſacratiſſima, & honeſtiſſima habebatur, quæ poteſtatem, & vim habuit imperantis, ac venerationem ſacerdotis, atque apud eos id erat legibus ſancitum, vt qui legatos violarent Principum, vel populorum, eſſent in crimine læſæ maieſtatis. Quare ius ipſum legationis cum hominum præſidio munitum, tum etiam diuino iure vallatum eſt. quod veteres ſumma fide, ac diligentiſſime omni fere tempore ſeruarunt; & ita ſeruarunt, vt eos quoque, qui eſſent in legatione aliquando in fraudem delapſi, integros, iure gentium, & incolumes dimiſerint. Legati Tarquiniorum, quorum nomẽ, memoriamque regni pop. Rom. funditus cenſuit eſſe delendam, a ſuis Regibus ſunt Romam miſſi, de rebus repetundis: hi cum quibuſdam nobilibus adoleſcentibus, exitioſa coniuratione facta, conſilium ceperunt de recipiendis clam noctu in vrbem Regibus. quod cum ad Conſules delatum eſſet, illi, coniuratis omnibus comprehenſis, & vinculis conſtrictis, legatos liberos dimiſerunt. Africanus autem Scipio, cum onuſtam Carthaginienſibus, viris illuſtribus nauem redegiſſet in ſuam poteſtatem, inuiolatam remi-

sit, quia se legatos ad eum missos dixerunt esse, quamuis falso hoc sibi, in maximo periculo legatorum nomen arripuissent. Sanctum igitur ius legatorum, ex omnium seculorum memoria, ad hanc vsque ætatem ita fuit, vt non violari inter inimicos, & hostes; ne dum inter amicos, & socios debuerit vnquam. nam & hostium legati, iure gentium, liberi debent esse, & inter arma, sola legatio, fide publica, tuta, pacis faciem, & nomen secum videtur afferre. Ciuili iure præscriptum fuit, vt si quis hostium legatum verberaret, iis, quorum erat legatus, dederetur; quod ius, vt a nobis postea demonstrabitur, est a Romanis diligentissime seruatum. Iure vero canonum, seu Pontificio est sancitum, vt ii, qui legationibus obsistunt, sacris interdicantur, atque a Christiana Repub. exterminentur: quod ab Alexandro 1. Pont. max. aduersus eos, qui legatum Pontificium impedierant, factum est. Sed quanquam ius legatorum sanctum, vt diximus, & inuiolatum communi iure gentium, ac lege ipsa naturæ, semper sit habitum; incidit tamen in omni fere ætate aliquando tempus, quo legationes, contra quam ius, & fas erat, sint violatæ. Ego vero, cum hac de re multa, multis aliis in locis, tum apud Herodotum, historiæ parentem, ac Thucydidem, sincerum gestarum rerum explicatorem hæc scripta

legi,

legi. Athenienses, quos ad eos Darius Rex Persarum legatos miserat, vt terram, & aquam peterent, turpiter violasse; id est, alios in barathrum; in puteum alios deiecisse, vnde terram, & aquam haurire dicebant oportere: Ac Lacedæmoniorum item legatos in fossam deiectos interemisse. Porro autem Rex Ponti Mithridates, vt scribit Valerius, in vincula coniecit Romanorum legatos; Tarentini, & Corinthii verberarunt; Fidenates, & Illyrii interfecerunt. Verum reliquorum ætatibus seculorum, huiusmodi exempla minime defuerunt violatæ legationis. Legimus enim in historiis, Henricum Dandulum Venetorum legatum ad Emanuelem Byzantium Imp. missum, a Græcis vi fuisse coactum ad res candentes æneas tandiu inspiciendas, quandiu amitteret aciem, qua cernimus, oculorum. Valens vero Cæsar legatos octoginta, qui ad se missi de pace cum hæreticis fuerant, iussit necari; & Byzantiorum legatos, incenso nauigio, in mare perdidit. Sed quid de Philippo Gallorum Rege dicendum est, qui Clementis v. Pontificis maximi legatum, qui erat ad eum missus, Christianum vt Regem ad arma in Turcas vocaret, imperauit in carcerem condi? Nicolaus demum III. Rom. Pontifex huius Reip. legatos, qui missi ad eum fuerant, vt de Pontificatu gratularentur, in-

crepauit quod vrbs Ancona a Venetis oppugnaretur; legati autem cum voluissent causam publicam sustinere, eos fari Pontifex vetuit. quod cum Senatus ægre tulisset, quamprimum legatos iussit Româ discedere. Vnde multas omni tempore fuisse legationes violatas, facile perspicere quisq; potest. quod quemadmodum satis est a nobis hactenus demonstratum, ita etiam, vt opinor, ostēdetur, nullas fere vnquam id genus inultas iniurias, atque impunitas esse relictas: quod expressit in Verrem his verbis Cicero: *Video, inquit, & ex iis, quæ legi & audiui, intelligo, in qua ciuitate non modo legatus pop. Rom. circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus; sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publicè satisfactum sit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri solere.* Primum autem Atheniensium, qui Darii legatos tam fœde violarāt, vrbem constat esse vastatam, atq; direptam. Corinthum totius Græciæ lumen deletum, quòd legati Romanorum fuerant appellati superbius. quod si verbis tantam violatæ legationis inultam pati Rom. pop. noluit iniuriam, quid, cum eius legati sunt interfecti? Sed legatorum iniuriæ sunt a Romanis bello Tarentino, Illyrico, Corinthio, Mithridatico vindicatæ. Atque vt de Tarentino, in primis magno bello aliquid a me dicatur; id anno ab vrbe condita CDLXXII, Fabricio, Æmilio-

milioque Consulibus, propter legatos violatos, excitatum esse testantur historici. Nam cum Romanam classem Tarentini essent insecuti, eamq; tanquam aliquis nefarius prædo, occiso nauium præfecto, diripuissent, ad eos Senatus legatos misit, vt de iis iniuriis grauiter conquererentur, qui quidem legati a Tarentinis, non solum omnibus verborum contumeliis vexati, sed ab ipsis etiam pulsati sunt, vnde Romani, qui nullum unquam vitę dedecus, ac turpitudinis ferre notam potuerunt, statim inimicitiam, bellumque Tarentinis denunciarunt, quibus Pyrrhus Rex Epirotarum, opem ab eo implorantibus tulit auxilium, ac venit aduersus Romanos in Italiam: bellum vero a pop. Rom. gestum est, non modo cum Tarentinis; sed etiam cum clarissimo, & potētissimo Græciæ Rege, qui primus elephātes, incognitas antea belluas, in exercitū introduxit, vt eorum magnitudine, ac deformitate, hostium equi perterriti, se in fugam coniicerent. hoc autem bello & ipsum Regem Pyrrhum Romani superarunt; & Tarentum, olim Calabriæ, & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, magnamque Italiæ partem, fortissimas gentes, opulentissimas vrbes, ac regiones in sui deditionem imperii redegerunt. quinetiam Illyricum bellum a Romanis esse gestum accepimus, quo multi populi, oppidaque diruta sunt,

ob eandem legatorum violatorum cauſam, qui in legatione ad Illyrios, ſiue Liburnos ſunt necati. Cum Corinthiis item pop. Rom. ideo bellum ſuſcepit, eorumque vrbem deleuit, L. Mummio Imperatore, quia legati Romanorum ab Achæis ſunt violati. etenim cum eſſent a Senatu legati Corinthum miſſi, quibus mandatum erat, vt Achæorum, & Lacedæmoniorum bellum, ſine vllo tumultu, aut motu ſedarent; & vt eas ciuitates, quæ fuerant in ditione Philippi, ab Achaico concilio ſeiungerent, id eſt, quod ſcribit Iuſtinus, vt corpus diſſoluerent Achæorum, qui tum ſoli erant ex vniuerſa Græcia potentiſſimi; ac diligenter curarent vt ſingulæ ſuas leges, ſuaque iura ciuitates haberent; & cum Senatus mandata legati eſſent executi, propter hanc cauſam ab Achæis ſunt verberati, vel potius, vt Florus aſſerit, verbis tantum ab eorum duce Critolao vexati. Vnde pro lege Manilia, Corinthum euerſam Cicero dixit, quod legati appellati fuerant ſuperbius. Bellum denique Mithridati a Romanis illatum eſt, tum quia Nicomedem, & Ariobarzanem amicos pop. Rom. alterum Bithyniæ; Cappadociæ alterum Regno ſpoliauerat; tum etiam quia legatos Romanos ad ſe miſſos in vincula coniecerat. Sed exempla præterea adiungenda ſunt a nobis his, quæ paulo ante propoſuimus, ad

legati

legati dignitatem declarandam, multo illustriora. illud autem in primis clarissimum est. nam Senatus Rom. cum audisset legatos, qui ab vrbe Apollonia Romam venerant, a Q. Fabio, & C. Apronio ædilibus, cum quibus contenderant, esse pulsatos, nulla interposita mora, constrictos ædiles dedidit legatis ipsis, quos Brundusium proficiscentes quæstorem iussit comitari, ne aliquam forte in itinere ab amicis, cognatisque eorum, qui erant dediti, acciperent iniuriam. Item L. Minucium, & L. Manilium Carthaginiensium legatis, qui ab vtroque fuerant manu percussi, Senatus dedi imperauit. quæ sane facta, meo iudicio, cum per se sunt præclara, ac nomine Romano digna, tum exposita videntur ad imitandum, hoc autem loco, instituti mei tenendi causa, multo inferioris ætatis exempla ponam; nec præteribo bellũ, quod Carolus Magnus Cæsar suscepit cum Saxonibus, transalpinis populis, a quibus eius legati fuerãt interempti; quo bello quidquid tum regionis erat inter Albin, & Visurgin, Cæsar ipse vastauit, diripuit, exinaniuit. Ac Rex Gallorum Clodoueus, maximo & fortissimo exercitu conflato, in Gothos inuasit, vt iniuriam ab illis ipsius legato illatam vlcisceretur. Iam vero quãti apud Romanos semper fuerit legatorum dignitas æstimata, eorum etiam amplissimis

honoribus decorata mors apertiſſime indicabit. Etenim iis omnibus, quibus in legationibus contigiſſet mortem obire, honorem ſtatuæ tribuendum eſſe cenſuerunt, propter hanc præcipue cauſam, vt periculoſiſſimis, ac teterrimis in bellis obirent homines legationis munus audacius; freti ſcilicet hac vna re, vt ſi in tanto officio, tantoque munere eſſent aliquando interfecti, ſuæ mortis ampliſſimum extaret monimentum, iisq; pro breui vita diuturna memoria redderetur. Tales olim Romæ fuerunt antiquiſſimæ illæ ſtatuæ Tullii Cælii, L. Roſcii, Sp. Ancii, & C. Fulcinii, qui a Fidenatibus in legatione ſunt necati, quas M. Tullius ſua ætate vidiſſe teſtatur: tales iis pop. Rom. legatis, qui a Larte Tolumnio Rege Veientum cæſi fuerant, ſunt in Roſtris poſitæ ad poſteritatis memoriam ſempiternam, Iuſtus honos, tam honeſtæ morti debitus. Cn. Octauius clarus, & magnus vir, in legatione cum eſſet, Laodiceæ a quodam Leptine eſt interfectus. huic autem ſi vitam abſtulit ipſa legatio, nonne iure optimo mors eius ſtatuæ monimento decorata, quæ vniuerſam familiam per multos annos honeſtaret? Seruius porro Sulpicius iuriſcõſultus, vir clariſſimus, eſt ad Antonium, qui erat in caſtris, difficillimo Reipub. tempore, legatus miſſus, qui cũ morbo eſſet affectus, eius vi in legatione oppreſſus, exceſſit e vita

e vita. Audito vero summi, & singularis viri interitu, quem illi attulerat legatio, in Senatu Cic. ornatissimam habuit orationem, tāti vt viri mors, quam ob patriam potissimum obierat, non solum sepulcro ei publice dato, honoraretur; sed vt eidem pedestris ex ære statua poneretur in Rostris. His igitur explicatis, dicendum a nobis aliquid videtur esse de ipso legationis honore, quem constat multis Consularibus viris, idest iis, qui essent amplissimo Reip. munere perfuncti, atque etiam Consulibus esse delatum. Senatus enim Rom. qui terrarum orbi quondam præsidebat, quem maximi, & potentissimi Reges, ac populi venerabantur, suæ censuit esse maiestatis, honestissimas semper mittere legationes, quales fuisse accepimus ad Attalū, & Philippum Reges; ad quorum alterum quinque legati, primus iterum Consul, Prætorius alter; Ædilitius tertius, & duo Quæstores cum quinque nauibus quinqueremibus missi sunt; ad alterum vero C. Terentius Varro, Cn. Manlius, & M. Aurelius viri clarissimi, cum tribus quinqueremibus. Atque in his quidem, vt in ceteris legatis, non generis tantum splendor, sed multo magis virtus, industria, fides, & constantia spectata est. præclare. nam cum magnum quiddam legatorum esse munus, & officium Romani intellexissent, considerandum sibi etiam, atque

etiam iudicarunt, qui tanto essent muneri præponédi. Itaq; legationes datæ sunt ex Senatus auctoritate, clarissimis viris, qui essent amplissimos in Rep. gradus aliquando consecuti. quam ego veterem consuetudinem omnibus, opinor, Principibus esse tenendam. etenim si verissimum illud est, *Magistratus virum indicat*; quid est, ubi elucere singularis hominum virtus, & integritas possit magis? Atque in eorum sane personis, quæ debeant sæpenumero legari, non sunt, meo iudicio, facienda pluris familia vetus, & perillustris, ac commendatio maiorum, quam vitæ innocentia, cognitio disciplinarum, ornamenta virtutis. Equidem sic iudico, quamquam mei iudicii esse statuo nihil; in legato spectari quidem genus, & nobilitatem oportere, quam longe omnibus doctrina præstans Aristoteles, quo ego vno vtor grauissimo auctore, & magistro, vult esse quendam maiorum splendorem. qui enim a claris sunt orti maioribus, nihil fere vnquam humile, nihil abiectum, nihil obscurum aut cógitant, aut faciunt; sed excelsa petunt, & ingenuo, nobilique viro digna; præterquam quod non videtur decere, vt obscuri mittantur homines legati ad Reges, aliosque Principes viros, qui se putant magni fieri & honorari, cum ad eos viri legantur nobilissimi, a quibus non nisi præclara, & laudabilia solent exspectare:

contra

contra vero, si ex infimo genere homines legationis obeant munus. recte illud quidem; sed considerandum est etiam, an sint virtute præditi; optimarum artium studiis eruditi; an sint prudentes, vsumque rerum maximarum percalluerint ii, qui in legationibus ceteris præferantur. Habendus est igitur quidam delectus personarum, atque illi sunt sine dubio legandi, qui tãtum munus sustinere posse videantur: ac considerandum in primis est, qui legati decernendi, & ad quos mittendi sint. Animaduerti ego, ac notaui in historiis nostrorum temporum, Pontifices maximos fuisse solitos ad Concilia, vt Græco vtar verbo, οἰκουμενικά, ad Cæsarea comitia; ad Cæsarem, & ad Reges, Principes interdum legare; ac Cardinales, & Episcopos sæpe legatos mittere. Obseruaui etiam Cæsarem, ad Pontifices, ad Concilia, ad Reges, & ad Principes Imperii consueuisse mittere Comites, Marchiones, Episcopos, ac denique Duces. Sed iam quod nobis est reliqui de dignitate legati, id omne, quo possumus diligentius, persequamur. Mos erat antiquus omnium populorum, vt legationes externas quam honorificentissime exciperẽt. Ac Romani in primis, in legatis excipiendis infinitos facere sumptus soliti sunt: nam & obuiam itione, & hospitio sæpe publico, atque epularum, & munerum magnificentia, ex Se-

natuſconſulto, illos honorabant, præſertim cum legati erant alicuius Regis, vel populi, qui contuliſſet in Rom. Remp. beneficium; ac legatos volebant, vndecunque Romam veniſſent, ædem primum Saturni ſacram adire, vbi pecunia publica, & ærariũ pop. Rom. aſſeruabatur; deinde vero ipſius ærarii præfectis nomina dare. quod propter hanc cauſam conſtat eſſe factum, quia munera legatis a Quæſtoribus mittebantur, hoſpitii cauſa, quæ *Lautia* dicta ſunt; quinetiam curabant ægrotantes, qui ſi graui, & mortifero aliquo morbo affecti, interiiſſent, vt ſumptu publico ſepelirentur, operam dabant. Maſiniſſæ Numidarum Regis legatos ſingulos Senatus Romanus purpureis ſagis, equis cum pulcherrimis phaleris, & militari ſupellectile donauit. Pyrrhus vero Rex legatis Romanorum ſua caſtra petentibus, vt captiuos redimerent, miſit obuiam Lyconem Moloſſum, & ipſe cum ſuis delectis equitibus, extra portam illis occurrit. Ac moris item erat antiquorum, vt legatione in vrbem admiſſa, legatis diem, quo audirentur, eorum arbitratu, Senatus daret, quod veteres inſtitutum diligentiſſime tenuere. Locum autem apud Romanos, in quo ipſi legati audiebantur, comperio fuiſſe eundem, in quo fiebant Senatuſconſulta, id eſt, templum ab Auguribus conſtitutum. Sed quanquam facere contra

anti-

antiquum morem audiendi legatos, ad eorũ arbitrium, nefas erat; tamen ab vſitata conſuetudine Liganus tyrãnus, & Rex Macedonum Demetrius videntur receſſiſſe quorum alter cum tempus diſtuliſſet audiendi legatos Lacedæmoniorum, dixit demum, *ſe infirma valetudine impediri, quo minus eos poſſet audire:* ipſi autem legati reſponderunt, *ſe veniſſe cum Ligano collocuturos non colluctaturos:* alter vero, ad quem difficilis aditus ſemper fuit, legatos Athenienſium, qui duos annos, apud eum fuerant commorati, minime audiens Athenas remiſit. Noſtra vero, patrumque memoria, legationes apud omnes Chriſtianos Principes, & obuiam itione, & aliis honorum generibus, omni tempore ſunt exceptæ, in quibus maximos etiam ſæpe ſumptus conſtat eſſe factos, præſertim in legatis Cardinalibus a Pont. max. miſſis, excipiendis. nec immerito: id enim factum eſt, tum ob honoris gradum, quem ipſi legati tenebant; tum ob eorum, a quibus legabantur, dignitatem, & potentiam. Profecto in hac florentiſſima Rep. omnium Principum legati ſunt honorificentiſſime ſemper excepti; atque iiſdem honores ampliſſimi ſunt tributi. Aloiſii Gallorum Regis legato Ioanni Laſcari Patres auri libram in ſumptum, menſibus ſingulis, a Quæſtoribus iuſſerunt dari. deinde vero Tunetis Regis legatus eſt a Senatu

liberaliter acceptus, domumq; cum magnificis muneribus remissus. Præterea vero omnium fere Principum moris est, in admittendis, & audiẽdis legatis faciles se præbere, quod ideo faciundum esse arbitror, vt respõsa ipsi legati ad sua postulata ferant, non solũ benigna, sed etiam opportuna. Verũ nostris quoque temporibus aliquando solet euenire, vt & Romani Pontifices, & Cæsares, & Reges maximi legatis ad se missis, non ad eorum arbitrium sui conueniendi faciant potestatem, sed cum Principibus ipsis per alias licèt occupationes. Porro autem consueuerunt Christiani Principes, cum legati in patriam redire iussi sunt, eos, in discessu, equestri honore decorare, atq; etiã aurea torque donare, qui honor huius Reip. multis est tributus. Sed aliquid etiam hoc loco dicendũ videtur de legatorum priuilegiis, & immunitatibus, quod ad eorum dignitatem maxime pertinet. De legatis igitur hæc in primis legislatores priuilegia tulerunt: *Vt munera, quæ ipsis sunt a Principibus in legationibus data sua propria sint.* Etenim videntur ea præcipue legatis data; tum ad beneuolentiam, quam erga illos habent Principes, declarandam; tum etiam ad indicandum, gratum fuisse Principi, atq; probatum hominem, qui apud eum legationem obierit. Prẹterea vero, quia legati Reip. causa videntur abesse, ciuili iure præ-

scriptum

ſcriptum eſt, legatum, in omni re, rationeq; cum altero, etiam ante legationem contracta, vendendo, emendo, conducendo, locando, ſi ei dies dicta ſit, habere ius, vt lator legis ait, reuocandi domum; id eſt, non poſſe, vſq; dum domum reuenerit, in iudicium vocari. nec iniuria, propterea quod minime æquum eſt, vt quæ publicæ rei cauſa, fiunt, priuatis commodis impediantur. Porro auté, ſi multorum dierum in via, legati graui aliquo, & periculoſo morbo ita afficerentur, vt iter cóficere haudquaquam poſſent; vel ſi eos vis hiemis, aſperitas viarum, ac nauigandi difficultas retardaret, lex ſancit, habendam eorũ ſalutis eſſe rationem. Verum illud item conceſſum videtur iis, qui legatorum ſuſtinent perſonas, vt, cum legationis munere perfuncti ſint, poſt ipſorum reditum in patriam, per biennium, ſi velint, ab omni adminiſtratione, ac munere publico vacare queant. Immunitates vero legatis dantur huiuſmodi, vt tam eorum, quam familiarium ſarcinæ, quas ſecum, vſus ſui gratia ferunt, ſine portorio, aut vectigali aliquo exportentur. non enim legati pro rebus ſibi vel ad victum, vel ad cultum, curationemque corporis, in itinere neceſſariis, pecunias, ſeu vectigalia debent alicui penſitare. Hæc fere habuimus de dignitate legati, quæ literis mandaremus.

DE LEGATI OFFICIO,

CAP. II.

DE Legati officio scribere aggredior, quæ quidem pars huius libri maxime attingit grauem hanc, & insignem, quam quærimus personam. ac nihil est profecto omnium, quę tractantur a nobis, quod dici debeat grauius, & magnificentius. de quo ita disserendum est, vt nihil prætermissum, nihil superuacaneum, nihil demisse dictum, nihil imprudēter videatur. nos autem propter nostri mediocritatem ingenii valde timemus, quemadmodum hæc a nobis explicari commode possint. Sed ne prorsus obliti videamur consuetudinis, & instituti nostri, elaborandum in hoc est eo magis, quo facilius, & diligentius hoc loco persequamur omnia, quæ maxime pertinebunt ad legati officium. Antequam vero longius progrediamur, dicendū breuiter in primis sumus arbitrati; vtrum boni ciuis sit, legationis onus sibi a patria, vel a Principe impositum suscipere. Sapientissimi viri sic semper sensere; ciuis optimi, patriæque amantissimi officium esse, legationem accipere, quotiescunque tempus, & occasio postulat; nec eum debent domesticæ res, longitudo itineris, asperitas viarum; aut quæ cæteros remorari solent, vnquam retardare.

dare. nam si bene de Republ. merendi vnus est ad veram gloriam cursus; si Romani, auidissimi gloriæ homines, rapti ad spem immortalitatis, vitam pro patria toties in discrimen obtulerunt; quid est, quod nos habere debeamus antiquius, quam præstare patriæ quantum possumus? nihil autem est, in quo ipsa antiquissima, & sanctissima omnium nostrorum parens filiorum suorum opera vtatur magis, quam in legationibus. At fortasse dicet aliquis, laboriosissima vitæ ratio est, multis obstructa difficultatibus; multis plena molestiis, & periculis. quis negat? Sed veri, iusti, atque honesti labores amplissimis honoribus, & præmiis; magnaque gloria cõpensati, facile mitigantur: & charitate patriæ, quæ omnes omnium charitates est cõplexa, sine dubio impedimenta omnia superantur. Amicos quidem caros habere debemus; cariores cognatos, vxores, filios, carissimos parentes, quod ii nobis vitam tradiderunt; patriam vero multo cariorem, quam nosmetipsos. Seruium Sulpicium clarissimum, & ornatissimum virum, in eius infirmissima valetudine, ad legationem suscipiẽdam bene de Rep. merendi studium excitauit. Is enim, quanquam ad certum vitæ periculum, se proficisci ad M. Antonium intelligeret; maluit tamen, vel in extremo spiritu, si quid opis ferre occidenti Reip. posset, ex-

periti, quam videri ipsam liberam Remp. fulcire, quoquo modo posset, noluisse. Itaque cum Senatus, qui grauissimus semper est habitus, auctoritati, in obeunda legatione paruisset; vi morbi oppressus excessit e vita: eiusque mors est æneæ statuæ monumento iure decorata: ac si spiritum ducere ad id tempus potuisset, quo in patriam reuersus esset, illi profecto Senatus honorem merito decreuisset, qui maximus haberi potest viuo, vt ei scilicet (quemadmodum apud Græcos in Prytaneo bene de Rep. meritis) victus quotidianus publice præberetur. Nos quidẽ certe in hac florentissima Repub. vidimus Senatores grauissimos, patriæq; amicissimos onus legationũ libentissime suscepisse, quãuis multis & necessitatibus premerentur, & domesticis difficultatibus laborarent. neque id cuiquam admirandum videri debet: qua enim mente eos esse decet, quo amore inflammatos in eiusmodi patriam, quæ est domicilium virtutis, summi Imperii, dignitatis? Verum vt ii sunt iure optimo summis ad cælum laudibus efferendi; sic etiam omnium consensu, patrum, sapientissimorum virorum decretum approbandum, quo pœna est in eos constituta, qui legationis munus obire aliquando nolint. ac si quando euenit, vt aliqui morbo præpediti; senectute confecti; aut maximis distenti domesticis occu-

occupationibus, legationis munus obire minus queant, legitimam eos in Senatu dare oportet excusationem, quam, si eidem Senatui illa satis iusta videatur, patres accipere, aut semper, aut plerunque consueuerunt: si vero non satis idonea, aut probabilis tantum sit, ei amplissimus Senatorius ordo obstare solitus est; praesertim si de eo, quem legatum decreuit, tanta sit hominum opinio, vt sit maxime sperandum, nihil esse, quod non illius virtute, atque prudentia effici possit. Boni ciuis esse ostendimus, legationem, data quidem occasione, accipere; nunc autem parum modesti dicimus, legationis honorem vehementer, & ambitiose petere. quod si cetera honorum studia, & cupiditates, atque ambitiones, quibus saepe homines obruuntur; & quae multorum malorum causa solent esse, ex omnibus ciuitatibus tollendae sunt; maxime mihi videtur tolli debere immoderatam legationum cupiditatem. qui enim nimis amare videntur ea, quae alii quodam modo defugiunt; ii multis de caussis iure veniunt Principi in suspicionem, ne propriis potius commodis studeant consulere, quam publicae vtilitati seruire. Itaque turpe esse opinor ciui bene de Republ. sentienti in petenda legatione ambire; cuius quidem onus obeundae temere, & nullo consilio suscipere,

arbitror esse imprudentis. Est igitur ei, qui tanto muneri præponendus sit, in primis considerandum, vtrum onus illud par, quod sustinere suis viribus possit: tantum enim est cuique muneris deferendum, quantum sustinere, ac proferri posse videatur: quare qui nullam aliam præter rei militaris, aut disciplinæ naualis cognitionem vnquam habuerunt; aut qui in aliqua alia huiusmodi re, in omni vita versati sunt, non debent, meo quidem iudicio, vllo modo petere, vel obire munus legationis; sed illi bellicæ tantum gloriæ studio teneantur. nam illud æquum, & vtile in primis hominibus esse semper duxi. Vt quisque artem, quam nouerit, exerceat, præterea nihil. Quales autem viros; quibus instructos artibus, ac disciplinis; quibus præditos virtutibus, atque ornamentis postulet legatio, posterius declarabimus. nunc ea dicenda, quæ sunt in promptu. Magnum quiddam est sustinere, ac tueri personam legati, qui, cum primum ad suum munus fungendum venerit, seruare decorum debet, quod Græci [illegible] appellãt; & quod consentaneum sit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat. decorum vero legatus seruabit, si optime cognouerit, quid sua grauitas; quid sui principis, aut Reip. dignitas; quid rei magnitudo, quid sua ætas, quid honos postulet; quis denique

denique modus in factis, dictiſque tenendus ſit. etenim vita noſtra ſcenæ ſimilis videtur eſſe, cuius actores ſunt qui in ipſa vita res adminiſtrant; ac quemadmodum ad actores ſcenicos ſpectat, impoſitas ſibi Regum, ſeruorum, hiſtrionum, aut alias quaſcunque perſonas ſuſtinere, & ſuas partes ita agere, vt oculis ſeruiant, & auribus ſpectatorum, ſic etiam ad nos pertinent quas ſumpſimus perſonas, ita tueri, vt & iis quæ digni ſunt, fungamus, & populorum oculis ſeruiamus, quo nihil eſt, vt mea fert opinio, difficilius. quid autem de ſe quiſque ſentiat, prorſus negligere, arrogantis eſt. Ac ſi decorum requiritur in quacunque perſona, maxime, vt opinor, debet in legato, præter ceteros, elucere. quid enim eſt ad legati dignitatem, & gloriam præclarius, quam vt is, qui ſui principis perſonam gerit, quod ſe ipſum deceat, ac ſibi ſit conſentaneum, rebus in omnibus, prudenter & loquatur, & faciat, nec vlla vnquam ipſius actio ſeparetur ab honeſto? contra, quid ad exiſtimationem turpius, quam vt legatus omnia παρὰ τὸ πρέπον, & agat, & dicat? ſed iam ad inſtituta pergamus. Officium legati præcipuum eſt, omnia fideliter, & ex animo agere. Finis vero eſt, ea facere, dictis rebus conſulere, quæ Reipu. ſuoque principi maxime conducere videntur, ergo quem ſummo legato fidelitas nunquam deſit, ſi-

demque in verbis, & factis in primis praestet necesse est. nam si fides est fundamentum iustitiæ; id est dictorum, conuentorumque cōstantia, & veritas, eam qui violat, iniustus & haberi & nominari iure potest. Sed in legato nostro fidem optimam, & spectatissimam, quæ veritate constricta est, desideramus; atque eum ita simplicis veritatis amicum esse volumus, vt ab omni fraude, & mendacio, quod non cadit in virum bonum, abhorrere videatur, id enim, vt ait princeps philosophorum Plato, omnes & dii, & homines, atque oderunt. quare turpiter fecit Æschines, qui ad Philippum Regem legatus, fidem violauit, vnde a Demosthene ementitæ legationis est accusatus. Præterea vero legati præcipuum, & maxime proprium [illegible], naturam principis, ad quem est missus, atque etiam eorum, quibus princeps vtitur, consiliariis & administris, atque, ac suam cognoscere. ac principis quidem ingenium optime, meo iudicio, & facillime nouerit, si in eius persona diligenter animaduertet, ac notabit omnia, quæ illud possint indicare. notet autem in primis formam hominis, id est corpus, oculos, vultum, frontem, vnde naturam & mores eius, vt apud Aristotelem est, poterit perquirere: atque hinc quidem se naturam cuiusque perspicere profitebatur Zopyrus physiognomon. Deinde vero

obtinet in principe temperaturam corporis quam κρᾶσιν Græci vocant, quæ oritur ex qualitatibus elementorum. ac si erit princeps melancholicus, eum putabimus, eodem grauissimo auctore Aristotele, ingeniosum; si pituita redundabit in corpore, tardum hominem, & otio languentem existimabimus: si bilis, propensum ad iracundiam, & [illegible]uosum: si demum sanguis, alacrem animo, & benignum: quinetiam motus, & corporis actio notanda est. deinde vero spectatur in eo genus, & stirps, quæ si erit antiqua, regia, & generosa; existimabimus illum honestatis studiosum; auidum laudis, appetentem gloriæ. Animaduertendum est etiam, vtrum nouus princeps sit, an iure hæreditario peruenerit ad principatum. is enim, qui princeps natus sit, multum, mea quidem sententia, differt ab eo, penes quem nuper potestas fuerit, & imperium: etiam alter, natura quadam eximia, vsque rerum præditus, multo res publicas melius administrabit altero, cũ ille publicis in negotiis, & in maximarum rerum actionibus semper versatus sit; is vero quotidie domesticis, & priuatis in rebus. Sed cum tria sint genera principum, id est, quidã iure hæreditario; casu aliqui aut fortuna; nõnulli electione ad principatũ perueniant, nos meliores esse arbitramur eos, qui electione principes facti sunt: in iis. n. deligendis cauta

considerantur, magnitudo animi, virtus, probitas, sæpe etiam generis splendor. Cognoscere itē debet noster legatus principis nationem, in qua genus etiam solet considerari; ac multum refert ad hominis ingenium pernoscendum, scire, quo quisque loco, atq; vbi terrarum natus sit. alia enim natura Galli, alia Hispani; Germani, & Itali omnino alia videtur esse. Porro autem consideranda est in ipso principe ætas; nam si erit adolescens, eum putabimus multas, & varias habere cupiditates. in quibus fortasse intemperans sit, præsertim in præcipiti, & lubrica illa cupiditate dominandi: deinde iudicabimus illum esse ambitiosum: procliuem ad libidinem; propensum ad iram; inimicorum, & iniuriarum, quas acceperit, vltorem: ac facilem vt decipiatur, in omni item re nimium, præsertim in amore, atq; odio: in suis autem actionibus honestum potius eligere, quam vtile: nam adolescentes [illegible] honorem vtilitati fere semper [illegible] ponere consueuerunt: ac nobis [illegible] erit, illum esse fortem, magnanimum [illegible] sibi, vt mos est illius ætatis, [illegible] confidentem. Si media [illegible] ætate, quæ est a trigesimo usq; ad [illegible] quinquagesimum; næ ille moderatus, ac temperatus vir existimandus erit. Si vero senex, eum tunc putabimus esse callidum, [illegible] suspiciosum, & incredulum; ac denique

niq; omnia ad suam vtilitatem referre. Cognoscat item legatus, quem fingimus, non modo mores Principis, sed totam etiam vitam illius est, quam in victu, administratione, & negotiis rationem sequatur: quibus vtatur hominibus & cōsiliariis, & administris, quos soleat fouere, quos in amplissimis honorum gradibus locare. Atque vt diuersæ, multiplicesque Principum naturæ & occultæ voluntates diligentius perscrutentur, animaduertendum esse opinor, quarum præcipue rerum studio teneantur; suo enim quemque studio maxime duci perspicuum est; ac nonnulles quidem palæstra; aliquos militia; quosdam aucupium, atque venatio; alios musica, atque alios literæ delectant; multis etiam placet equorum concursu certare; vel generosos ipsos equos, & ferocitate exultantes agitare, stimulisque concitare. Volumus præterea in Principe notari virtutes & vitia. quæ autē in eo virtutes in primis requiruntur, sunt, religio, iustitia, fides, prudentia, temperantia, vitæ innocentia, liberalitas, beneficentia: deinde vero decet Principem, rerum vsum habere, optimarum artium studiis, quibus liberales doctrinæ continentur, eruditum esse, ac facilem se in hominibus audiendis, admittendisque præbere. quin etiam nihil est Principe viro dignius placabilitate, lenitate, clementia, comitate, nihil detestabilius asperitate,

iracundia, crudelitate. contraria iis, quas [illegible] memoraui, virtutibus, coniunctam: a quibus longissime absit necesse est. Ac diligenter quidem exquirenda sunt Principis consilia, vt intelligatur quocunque eius mentem [illegible], & sententia maxime inclinet: id est, verum propensior sit ad bellum, quam ad pacem; aut ad propagationem finium imperii, quam ad Regni ipsius conseruationem: cuius demum partis sit; & quo in caeteros Principes animo, expiscandum est. Collegi omnia, quantum ego possum iudicare, quae pertinent ad naturam Principis pernoscendam; quae si legatus animaduerterit, non est dubium, quin quod voluerit, consequi facile possit. Et hac enim cognitione consiliorum [illegible], tempus, occasionem ad voluntatem, & ipsum ad magnas res gerendas accommodabit; ac se denique totum ad Principis ingenium finget. Legato autem in primis necessarium esse arbitramur, vt sibi primorum Principis, deinde aliorum, qui apud eum auctoritate valent animos conciliet; quod si non commode, [illegible] poterit, [illegible], & opinione virtutis, probitate, liberalitate; rebus gestis, & [illegible] vitae: deinde vero dici non potest quantopere conciliet animos hominum [illegible] morum, comitas, affabilitas [illegible] plurimum valere ad conciliandam [illegible] laudem putamus, cum quidem

quidem studio omnes [illegible] modo trahi-
mur, [illegible] non sit [illegible] ad [illegible]-
sentationem erudiri, [illegible] & [illegible] loqui
videamur, & hoc modo [illegible] principis beneuolē-
tiam colligere, & [illegible] velimus.
Debet etia legatus [illegible],
ad quem est missus, [illegible] volu[illegible]
cere; partem retinere, [illegible] & be-
neuolentiam, qua erit inter [illegible] principes,
conseruare. Nunc veniamus ad [illegible]
partes, ad legati personam pertinentes. [illegible]-
gitur ei in primis summa adhibenda cura;
plurimumque studii, ac diligentiæ consumen-
dum ad res omnes cognoscendas, & percipi-
endas, quæ ad illud maxime Regnum, Impe-
rium, prouinciam, in qua erit, spectare vide-
antur. Cognitam autem primum legato vo-
lumus esse principis aulam, ex omni parte;
nota consilia cuiuscunque generis, id est, co-
uentus deliberantium, consiliarios omnes,
eos, qui sunt a secretis, consiliorumque parti-
cipes, administros, iudices; omnem deniq;
formam administrationis. Præterea vero [illegible]-
re debet legatus noster, quæ, quantaque sit
[illegible] ditio principis, & imperium; quæ pro-
uinciæ, ciuitates, oppida, loca ipsius [illegible]
sint [illegible]. Prouinciæ vero ipsæ, atque
vrbes [illegible] quot milli[illegible] passuum sint in cir-
cuitu; [illegible] parte pateant; vtrum monti-
bus, maribus, fluminibus, vallo, fossis,

Iacobus sint communitæ, earum situs, opportunitates, naturas; cæli temperationem, terrarum, agrorumque fœcunditatem, flumina, portus, fines. deinde vero considerandum est, vtrum abundent rebus necessariis ad vsus hominum; vtrum prohiberi commeatu, aliqua ex parte possint; itinerum, & nauigationum difficultates; an sit vbertas vel inopia rei frumentariæ; an multis denique vectigalibus, aut tributis, maximisque oneribus premantur. quod autem attinet ad populum, & incolas, animaduertendum est, quo animo sint erga principem; qui sint mores ciuium; quas ad artes aut studia se exerceant; an mercaturæ studio teneantur; an opibus, ceterisque fortunæ bonis abundent; quæ sit magistratuum forma, legum, iudiciorum; quali eorum auctoritas, dignitas; quæ ratio, atque institutio prouinciæ, ciuitatisq; administrandæ. Ea vero, quæ spectant ad principis vires, & potentiam, consideranda sunt hoc modo. Primum quot regionum, regnorum, prouinciarum, ciuitatum imperio potiatur ille princeps; an coniuncta sint ea, quæ in [illegible] sunt, vel diuisa. sunt enim [illegible] minus disiunctę [illegible] imperium terrestri [illegible] magis opportunum sit; [illegible] videatur. Sciendum est [illegible] quod [illegible]

taque

taque princeps habeat vectigalia. ea enim ſunt nerui, atque oſſa ipſius principis: atque ea omnia perſcrutanda, ex quibus certam pecuniam ſingulis annis haurire conſueuerit. Extraordinariam vero, tempore belli, aut cum vrgeat neceſſitas, conflare vnde poſſit. De re nummaria, de tributis, de impenſis quæcunque legatus ſcire poterit, multam illi coniecturam afferent cæterarum rerum, præſertim rei militaris, cum belli neruos conſtet eſſe pecuniam infinitam. Ad ipſam vero militarem rationem quæ ſpectant, ea conſiderentur, & notentur accuratiſſime. In diſciplina militiæ terreſtris continentur equitatus, & peditatus: equites aut ſunt proprii, aut auxiliarii: aut ſunt cataphracti, aut leuis armaturæ. Cataphractorum equitum magnus numerus in exercitu mirifice ſemper profuit ad impetus in hoſtes faciendos. Animaduertendum eſt igitur, quot ſint equitum turmæ; an equitatus ſit omnis ex illa prouincia coctus; an magnum equitatus numerum ſuo ſumptu ſemper alere princeps poſſit. Pedeſtres vero copiæ aut delectæ ſunt ex prouincia, aut externis in locis conſcriptæ. quæ ſunt ex prouincia illius principis propriæ, videndum eſt, an ſint firmæ, & fortes; an ſint pedites inſtructi, veterani, patientes, veloces probentur; an magnus militum numerus conſcribi poſſit in illa prouincia ad inſtruendam ar-

em. Id autem in primis legatum scire necesse est. nam permagni quidem refert, principem tectum esse propriis armis, vel ad nocendum, vel ad defendendum, vel ad ulciscendum. etenim mercenarii milites neque tam fideles neque tam utiles sunt, quam proprii: ii nihil habent præter stipendium, quod ad præstandam fidem; & acriter pugnandum; ad mortem pro salute principis libenter obeundam, possit eorum animos incendere: hi vero, qui in potestate, ac ditione principis imperanti sunt, excitantur benevolentia, quam habent erga principem ipsum, ad bellandum, ob eiusque gloriam, & dignitatem, salutem. Profecto ex propriis, veteranisque militibus instructus exercitus maxime semper profuit ad bellum gerendum [illegible] cohortes [illegible] plerumque arma, signaque [illegible] in auxilium [illegible]. Cognoscere quoque debet legatus nostri belli duces, & præfectos omnes, in quibus [illegible] scientiam rei militaris, auctoritatem, felicitatem, ceterasque virtutes imperatorias: quam prudenter, quam fortiter se gesserunt in bello [illegible] acie, in ponendis, & [illegible] castris; in consiligendo cum hoste [illegible] prœliis faciendis, vitandisque [illegible], in omni denique bello administrando. Præterea vero [illegible] conspiciendum esse legatum [illegible] occasione, [illegible]

[illegible]

bes, castella, arces, oppida, quæ in finibus im-
perii illius principis posita sunt; ac videndum
vtrum præsidiis, commeatu, omni tormen-
torum genere, munita sint, vtrum mœnibus,
turribus, vallo, fossa, aggere, munitione cir-
cumsepta. Est etiam animaduertendum, an
ille princeps, ad quem missus est legatus no-
ster, alere exercitum in sua prouincia, ac re-
gione longo tempore possit; vtrum abundet
re frumentaria, ceterisque rebus, quæ sunt in
bello maxime necessariæ. Ad naualem vero
disciplinam quæ pertinent, ea sunt omnia le-
gato exquisite cognoscenda; ac primũ viden-
dum, an classem instruere, atq; ornare com-
mode, facillimeq; valeat omni tempore; vtrũ
nauale habeat, armamentarium, locumve
ad triremes, nauesq; ædificandas satis idone-
um: an habeat triremes, nauesq; ipsas pluri-
mas, antennas, vela, malos, tormenta, remi-
ges, nautas, gubernatores scientia, atque vsu
nauticarum rerum præstantes, maritimisque
in rebus exercitatos. nam si classe in primis,
maritimisq; rebus valeant, magnopere qui-
dẽ erunt in naualibus pugnis æstimandi. De
persona principis satis a nobis dictũ est supra;
noscendas esse in eo virtutes, & vitia, naturam,
temperaturam corporis, propẽsionem, mul-
taq; alia. nunc illud adiungimus, consideran-
dum esse, quæ bella ipse gesserit, ac cõfecerit;
quos coniunctos reges, & principes habeat.

voluerit; quæ fœdera fecerit, neglexerit, aut violarit; quorum partes ſuſceperit. neque ignorandum eſſe, an fines imperii in bello propagarit; an multas ciuitates vi, aut obſidione ceperit; quas victorias ſit conſecutus; quas demum accepiſſe calamitates videatur. Coniunctiones vero, affinitates, atque amicitiæ principis, tum etiam quæ ſibi iura poſtulat, minime debent eſſe obſcura legato noſtro, cui quidem ſi optime cognita, & perſpecta erant hæc omnia, quæ paulo ante commemorauimus, verendum nõ eſt, quin multum prodeſſe patriæ, ſuoque principe [illegible] [illegible]. In hac enim cognitione id quod in deliberationibus in primis cadit, ſeu de bello & pace, [illegible] fœdere, aut pactionibus [illegible] ſit, [illegible] quidem [illegible], [illegible] [illegible] poterit. non enim ignorabitur quam [illegible], quantique faciendus ille princeps, ad quem miſſus erit legatus ipſe [illegible] prudentia, iudicio, ingenio, in rebus omnibus percipiendis ſatis explicabimus, cum virtutes eas præcipuas, quibus legatum præditum eſſe volumus, accuratius perſequemur. Verum hæc nulla facio; illud quæro, quod ad legati officium maxime pertinet. Suum igitur ſit hoc præcipue munus, [illegible] mandata ſui principis, ſumma fide, diligentia, atque [illegible] animi, vigilantia [illegible], atque exhauriat. Sed antequam ad

ad reliqua pergamus; de mandatis legatoru, & negotiis hoc loco nobis distincte, atque explicate dicendum est, vt intelligatur in primis, quæ, & cuius generis mandata habere a principibus legati consueuerint. Mandatum igitur est ipsa mens, & voluntas principis, in rebus gerendis, & in negotiis exequendis, quod est legato quædam quasi norma, ac certum quiddam præscriptum, ad quod dirigere sine dubio debet ille officia fere omnia. Quæ vero res in mandatis cõtinentur principum, sunt variæ, ac multiplices. nam publicæ quædam sunt; priuatæ aliquæ; item quædam sacræ; nonnullæ profanæ: aliæ vero in cognoscendo, aliæ in agendo; in dicendo, aut exequendo aliæ consistunt. Sed quæ a principibus habere mandata legati soliti sunt, bipertito diuiduntur. quædam enim omnino libera; quædam vero præfinita, ac certis quibusdam contenta terminis sunt. ac libera quidē mandata, quæ appellantur a Thucydide absoluta, & cum summa potestate, nos interpretamur ea, quæ legatis dantur, iis de rebus, quæ decerni, aut confici alio modo, quam in re præsenti, minime possunt. multa enim sæpe casu solent euenire, in quibus cum nulla mora interponi posse videatur, consilium ex re, & ex tempore capiendum est. quod in hominis fide, ac prudentia situm prorsus debet esse. Itaque mandatum liberum esse legatis

necessarium, constare [illegible] Senatus olim Romanus [illegible] legatis in exercitum missis libera dare mandata, more maiorum, solitus est; id est, generatim summam iis tradere agendorum negotiorum potestatem; ac nostris etiam temporibus potentissimi aliquando principes consueverunt, in maximi ponderis negotiis, libera in suis legatis dare [illegible] rerum gerendarum, quae mandatorum in literis non continentur, nempe earum, quas pro ratione temporum postulat occasio & opportunitas, in quibus meditationem, & cunctationem abesse necesse sit. Praeterea vero cum liberis mandatis mittuntur quandoque legati in rebus penitus desperatis, in quibus nullum certum capi consilium possit. Huiusmodi mandata Phaneas, & Democles legati [illegible] apud Romanos, ab Aetolis acceperant, his verbis: *Ut quod in di[illegible] [illegible] publica [illegible], [illegible]* [illegible] libera mandata. Definita [illegible] mandata sunt ea, in quibus certa quaedam conficienda negotia continentur, [illegible], vel quid legato agendum sit, principes [illegible] modo, cui ipsius prudentiae [illegible] esse, vel ad certam rem [illegible] modum adiungunt, id est, quibus verbis, quo ordine [illegible], legato praescribunt. Sed [illegible] videmus esse [illegible]

hosce

stimenta quædam nouasse, vt bellum in-
dicere, fœdus ferire: & quæ sunt generis e-
iusdem: quædam vero occulta, quæ iis tan-
tum, qui ea debent exequi, nota volumus
esse; huiusmodi mandata Antiochum Re-
gem suis ad Romanos legatis dedisse accepi-
mus. nam primum quidem de pace manda-
tum; [illegible] occulte dedit, vt eadem de re
priuatim Scipionis animum tentarent. Sed in
legatorum negotiis persequendis, quæ pro-
fecto sunt de rebus vel sacris, vel profanis: ac
sacras quidem res intelligimus eas, quæ ad
religionem, & sacrosanctam Romanam Ec-
clesiam pertinent: profana vero negotia, quæ
agi a suis legatis volunt principes, hæc præci-
pua sunt, de bello, & pace; de fœdere, & so-
cietate; de conspiratione; de petendis auxi-
liis; de captiuis redimendis; de nouis com-
parandis, de tuendis, aut propagandis fini-
bus, de rebus denique ad vtriusque princi-
pis dignitatem, & regnum spectantibus. I-
tem in legatorum negotiis continentur a-
micitiæ, & beneuolentiæ inter principes
conseruatio, tum ea, quæ sunt officii cau-
sa, vt gratulatio victoriæ, nuptiarum, aut cu-
iuscunque rei, quæ feliciter, & fortuna-
te contigerit: significatio quoque doloris in
aduersis rebus euentis; gratiarum demum
actio, pro acceptis beneficiis: quæ omnia
officii genera non sunt, meo iudicio, erga

principes, inter se amoris vinculis, & societate coniunctos, prætermittenda, quemadmodum apud antiquos obseruatum est. ac mihi nunc venit in mentem Carthaginiensium, qui, post gloriosam victoriam, quam Romani ab Samnitibus reportarunt, legatos Romam miserunt, vt de ea, publico nomine, gratularentur, cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio poneretur. Quæ sint mandata legatorum; & quæ negotia, satis explicatum arbitror; nunc reuertamur ad reliquam partem, ea vero est, vt legatus noster persequatur omnes vias, quibus poterit ad id, quod ei mandatum fuerit, peruenire posse. nam si quis rem mandatam malitiosius gerat, aut negligentius, summum, vt mea fert opinio, videtur dedecus admisisse. Idcirco apud Romanos constitutum est iudicium in eos, qui mandata Reip. negligerent, aut violarent, non minus turpe, quam in eos, qui furtum facerent. merito. si enim princeps rerum suarum, in quibus ipse interesse non potest, legato fidem habet, cur debet eam lædere, aut ad suum commodum legationem conuertere? turpis hæc culpa videtur esse, atque hominis perditissimi. ac si quando euenit, vt legatus propriis potius consulere commodis, quam publicæ vtilitati seruire, ac mandata principis conficere videatur, cum legationem ipsam polluisse, maculaque affecisse dicendum est.

quare

quare turpissimo iudicio condemnandus est. Veterum exemplis edocemur, eum, qui amicum fefellisset, non esse bonorum virorum in numero habendum; quanto igitur magis est ex hoc numero eiiciendus qui principem, Rempublicam, patriam ipsam destituerit, deceperit, omni fraude, & perfidia fefellerit? quid suscipis onus legationis? quid recipis mandata? cum præstare fidem nolis? quæ quidem non aliunde videtur nomen duxisse, nisi quia fiat quod dictum est. Quapropter legatus noster quæ habuit a suo principe mandata diligenter curet, ac fideliter persequatur; conuertat animum, & ea ipsa circumspiciat; nihil vnquam constituat, nihil gerat, nisi ex eiusdem principis consilio, auctoritate, sententia; quæ in mandatis continentur conficiat omnia; demandata tantum sibi negotia expediat, quæ non aliter gerat, quam mandatum est; nihil agat præterea, nihil dicat, nec alienis, vel propriis negotiis se interponat. Si vero, propter priuata commoda, publica negotia negligat, propriique beneficii stimuli acriores esse videantur, in crimen mandati, iudiciique infamiam reuocetur. Certos igitur sibi fines, terminosque mandatorum legatus constituat, extra quos egredi minime possit, nec aliter vnquam agat ac iussus est; ac mandata quoque iisdem verbis, quantum fieri potest, exequatur. Legati Ætolorum ad

Romanos de pace missi cum liberis manda-
tis, cum graue a Senatu responsum obtinuis-
sent, quid respondere noluerunt, quamquam li-
bera habebant mandata, ne ipsi sine [illegible]
rum consilio, quicquam [illegible] fecisse vi-
derentur. Equidem Romanos compertum fu-
isse solitos animaduertere in eos qui res mi-
nime mandatas, quamuis [illegible] gessis-
sent. quare sic scribit Valerius: *Quintus Ful-
uius Flaccus Censor Fuluium fratrem [illegible]
legionis in qua tribunus militū erat, iniussu Con-
sulis, domum dimittere ausum, Senatu mo-
uit.* item paulo post: *Posthumius dictator A.
Posthumium filium suum, quia non iussu suo
sed sua sponte praesidio progressus, hostes fude-
rat, [illegible].* hæc ille. Vi-
des [illegible] quoque patet: nihil un-
quam sibi esse, [illegible] Rei-
publicæ [illegible] gerendum. Sed incidit
tamen aliquando tempus, quo mandata pu-
blica videntur quod [illegible] posse a legato
ornamentum aliquid accipere, & in varios
rerum euentus accommodari; id est, cum a-
liquid [illegible], quod nondum suo
tempore [illegible] quæ quidam
casu, legatum [illegible] ad consilia perti-
nebant. quod enim si res forte euenerit e-
iusmodi, [illegible] voluntatis principis
[illegible], vel [illegible]
[illegible] ad eius aures, idem esse mandatum [illegible]

Sed

Sed quoniam aliquando etiam accidit, vt princeps, cum adesse nequeat præsens, sibi aliquid persuaserit longe secus ac re vera sit, vel idoneis forte consiliis ad aliquod negotium minime sit instructus, aut etiam quod sit actum ante, quid cum eo sit potius, nondum forasse sciat; quibus de causis ei legato mandet, quæ si ille velit exequi eo modo, quo iussus est, totum euertat negotium, cuius tamen fundamenta, quæ videantur firmissima, iecerit in eo omni diuersa legatus quidem ipse quamprimum debet, nisi in temporis angustias inciderit, omnia ea de re facere per literas principem certiorem: atque ab eo mandata, mora aliqua interposita, iterum exspectare. Si vero, ob angustias téporis, res ipsa differri nullo pacto possit, equidem nescio an audeam affirmare, quod legato liceat, eo casu, præterire mandata principis; atque ea tantum agere, quæ magis ipsi principi, aut Respubl. iudicet conducere. magnum enim profecto refert, ac periculosum, ancepsque nimis est, extra fines egredi mandatorum: in quo quidem considerandum etiam, atque etiam legato arbitramur, ne fallatur opinione, aut nimia, tenuique aliqua spe ductus ad credendū, quod & vituperabile esset, & hominis prorsus imprudētis, rerumq; omniū imperiti. ego vero hoc consilium (potest fieri vt errarem) nō esse capiendum existimarim.

nisi quando nullum sumi possit spatium ad scribendum; ac nisi manifestissimis in rebus, quæ nullam omnino habeant dubitationé, an legatus elegerit ea, quæ magis vtilia suo principi futura sint; cui statim omnes causas illius deliberationis diligentissime literis explicandas, & patefaciendas putamus. Huius autem rei exempla non desunt in historiis nostrorum temporum: atque in hac quoque Republica fuerunt aliqui, qui necessitate coacti posthabitis mandatis, ceperunt id consilii; quod tamen, quia ad commune commodum, & publicam vtilitatem pertinere videbatur, laudatum est a patribus: ac legatorum industria, atque prudentia probata est a cuncto Senatu. Sed si res aliter cecidisset, aut si quid aduersi contigisset; cum euentus rerum tantum, non facta ab omnibus spectari soleant, notum, quæ nam ignominia eorum, qui sua sponte, sine auctoritate Senatus, aliquid egissent: multos tamen optima mente præditos, qui in omni vita a recta conscientia non discesserunt, hoc sibi, in summa necessitate, sumpsisse perspicuum est. Sed aliquid potius sua sponte agere legatum aliquando posse crediderim, occasione aliqua ita idonea, vt tenenda sit illa hora, quæ habeat opportunitatem ad agendum; agere autem tantummodo ea, data quidem tali occasione, quæ ad summam sui principis dignitatem, & vtilitatem

tem spectare apertissime videatur. Ego sane memoria teneo, *Aloysium Mocenicum* equitem, singularem virum, in ea legatione, qua apud Paulum, deinde vero apud Pium quartos, Pontifices maximos, sua summa cum laude obiit, nunquam oblitum sibi tempus prætermisisse bene de Repub. merendi: nam cum vtrique Pontifices multum, & varium cum eo sermonem habere soliti essent, vtrique enim eius congressu vehementer delectabantur, ac cum in oratione sæpe inciderēt aliquid, quod ad Reip. commodum, & dignitatem pertineret; ille, tam amplam nactus occasionem, maxima in patriam contulit beneficia. quamobrem est ita laudatus a cunctis ciuibus, nihil vt iis laudibus ei fuerit vnquam gloriosius. Profecto legati officium est, vt mandata sui principis diligentissime persequatur; nec quidquam agat præterea; sed multa tamen, vt dixi paulo ante, incidunt, in quibus, qui negotiis intersunt, abiecta omni cunctatione, suo prodesse principi multum possunt: quæ quidem melius illi ex re, & ex tempore constituere queunt. ad nouos enim casus temporum nouorum consiliorū rationes accommodandæ sunt. ac quoniam rarissimæ solent esse amplæ occasiones, quibus quidem nihil est, quod fluat, aut labatur celerius, cum oblatæ sunt, eas arripere summæ prudentiæ semper fuit. occasiones vero

ipsas amittere, neque horum tenere, quae sit opportunum ad negotiu administradum, imprudentis est. De fide in mandatis Principum seruanda satis dictum est; deinde, vt ratio ordinis postulat, de altera fidei parte dicetur. Ea igitur est, vt legatus quae secreto principis consilia, & ante legationem, & in legatione cum illo communicantur; quae maxime eius fidelitatem desiderant, secum habeat; tacita tanquam mysteria teneat; atque ea denique nunquam enunciet. nefas enim omnino videtur esse, atque hominis scelestissimi, aperire mysteria sui principis, & in [illegible] sibi commissa, atque concredita, quae supprimere [illegible] aliquo modo diuulgare. atque nimis id fieret [illegible] temere & imprudenter potest, legatum volumus [illegible] loqui, & prius considerare quae velit dicere, et linguam in primis in continentia continere. Legimus apud Valerium; Quinctum Fabium a Consulibus grauissimi viros, [illegible], quod Publio Crasso, cui [illegible] in Curiam, Romanus [illegible] narrasset quae in Senatu secreto acta fuerant de tertio bello Punico inducendo. atque haec de altera fidei parte, in qua notum esse [illegible]. Sequitur vt de legati officio in consultationibus, & deliberationibus dicendum sit, cuius quidem rei facilior [illegible] explicatio, si pauca de consilio primum

mum dicimus. Aristoteles vir optimus [illegible]-narum omnium magister, consilium definit, inuestigationem quandam earum rerum, quibus ad finem, quem nobis propositum, facile possimus peruenire. Cicero autem id esse affirmat, excogitatam aliquid faciendi, aut non faciendi rationem. Sed quid noster eloquentissimus, & grauissimus author Isocrates(?) ille in eo dialogo, quem inscripsit [illegible], consilium inquit esse rem sacram in eo autem capiendo consultantem praecipit in primis quidnam sibi, de quo consultandum est. Praeclare. nam fundamentum recte deliberandi haud inueniri aliud esse opinor, nihil vt constituatur, priusquam intelligatur, quid sit id, vnde deliberatio debeat pendere. quare consilium sine dubio rem praecurrat oportet: considerandum cum sit, ac ponderandum, quid nobis agendum sit, ac quid accidere possit in vtramque partem. ne, vt, cum aliquid euenerit, minime sit dicendum, *non putaram*; quod turpe esse homini prudenti, qui percipere debeat cogitatione futura, sapientes existimarunt. Verum in omni consilio capiendo legatus noster duo potissimum spectet, id est finem & quae ad finem facile perducunt. finis est res, quae in consultationem venit, cuius causa ea quoque considerari necesse est, quae pertinent ad ipsum finem. Earum vero rerum,

quæ cadunt in deliberationem, triplex esse re-
or. primum enim honestane sint, an turpia
dubitamus; deinde vtilia, an inutilia; postre-
mo, duobus propositis honestis, vtrum ho-
nestius; item duobus propositis vtilibus, vtrũ
vtilius. sed hac de re locos quosdam tradidit
in Rhet. Aristoteles, ex quibus quæ magis e-
ligenda sint, constare satis arbitror. Omnia
vero, quæ veniunt in consultationem, sunt
quæ aliter accidere possunt; non enim con-
sultamus de rebus, quæ ex fatali quadam ne-
cessitate, vel natura, semper eodem modo fi-
unt; vt de rebus æternis de cæli conuersione,
& astrorum cursu; vel aliis de rebus, quæ
quouis modo necessariæ sint, id est quæ aliter
euenire haudquaquam possunt. rerum autẽ
omnium, quæ possunt aliter cadere, modo in-
dem triplex videtur esse. nam quædam natu-
ræ sunt; quædam pendent a fortuna; quædã
sunt posita in nobis ipsis, id est, in nostra po-
testate sita, & hæc sola cadunt in deliberatio-
nem. nos autem iis de rebus deliberamus,
quæ ad finem spectant, non de fine ipso. non
enim an curet medicus; orator an persuade-
at: sed quibus rebus id assequi possit, sine du-
bio consultat. neque vero consilium capiun-
dum de eo, quod factum est, sed de eo, quod
futurum sit, atque aliter cadere queat. ac pru-
dentis quidem animus semper præsentis in
posterum; & quæ facta sunt, mutari nullo
modo

modo possunt. In consiliis vero ipsis, videat legatus, ne metu aliquo, aut cupiditate, aut ira, aut aliqua magna animi perturbatione, quæ hominem excæcat; & est inimica consilio, commoueatur. in deliberationibus proponat sibi primum sui principis cōmodum, & dignitatem; cōsideret finem magis, quam principium; consilium ad necessitatem, cui quidem parendum est, omnino referat. quod autem statuerit, id celeriter exequatur. inutile enim prudens ipsum, aut fidele consilium videtur, nisi in exequendo, summa cura, summaque diligentia adhibeatur. De hoc satis fere diximus, &, vt aliquando legatum, quem constituimus, ad negotia deducamus; nunc dicendum est, quo nam modo in illis debeat se gerere. Primum igitur ad legati officium maxime pertinet, quodcumque negotium erit acturus, diligenter, penitusque cognoscere, & singulas eius partes notas habere. idcirco a capite primum id ipsum arcesset, &, vnde omnia manent, videbit: deinde vero difficultates, & impedimenta omnia internoscenda, ac discernenda sunt. quod facile faciet legatus ipse, si in eo erit acumen ingenii: cognitis autem difficultatibus, si erit homo grauis, & prudens, non metu aliquo, aut periculo animo frangi se sinet, sed statim eas diligentissime perpendet; atque omnibus adiiciet iis rebus, quæ prouideri queunt. Itaque

[illegible]

[illegible], atque lectissim[illegible] [illegible]
[illegible] molestabantur, ibi [illegible]
Summam igitur apud omnes laudem facile
est adeptus, amplissimisque honoribus,
ac praemiis ditissimis est functus. Ve-
rum quid prodest ipsis [illegible] [illegible]
tas legatos apud Turcarum principem, quē
fere numquam conueniunt, qui cum eo [illegible]
bus mediantibus agunt, per [illegible]
nullam linguam perfecte [illegible], & o-
[illegible] cultum [illegible], profecto
ii, quibus ut [illegible]
contingunt felicem & [illegible]
t[illegible], summam [illegible]. Sed
ut ad rem redeamus, rerum porro gerendarum
idonea, & opportuna tempora legatus obser-
uet necesse est, quae cum [illegible], non omit-
tat, nec differat, aut procrastinet negotia. pe-
riculum enim saepe est in [illegible], quae qui-
dem [illegible]
dicari [illegible] aliquando totum negotium,
vel minimo puncto temporis intermissio, utq;
Socrates, [illegible] Graecis omni-
bus prudentissimus [illegible]
[illegible] quae
[illegible]
adhibenda [illegible]
legatus [illegible]
[illegible]
[illegible], & tempore [illegible]
[illegible], ne molestus illis, & importunus

videatur. quare prudenter fecit Pub. Iulius Pop.Rom. legatus ad Antiochum missus, qui cum audisset, Regem ob acerbum interitum filii, esse in maximo luctu, & squalore, in aliud tempus distulit legationis negotia. Atque ad res quasdam gerendas maxime, vt opinor, conducit, eius principis, apud quem aliquis legatus, mentem degustare, ad intimos sensus penetrare, & eiusdem voluntatem perdiscere. quod assequi, meo iudicio, legatus facile poterit, si saepe cum illo congrediatur, & eundem lenire conabitur, quo quandam quaecumque accedat humanitas, animo ferre solent, omnino etiam, quod ad hanc officii partem attinet, illud adiungo, legatum nullo unquam in agendis negotiis niti verbis principis, sed facta potius attendere debere: plerunque enim homines alia loquuntur, & alia omnino sentiunt, & agunt. Saepe enim verba ipsa atque promissa, publicis in rebus grauissimis, non sunt tanti facienda, ut iis standum esse prorsus arbitremur. Atque quoniam, ut diximus, nulla est mora in maximi ponderis negotiis interponenda, legatus semper debet principem sequi, ad quem est missus, siue ille iter faciat, siue sit in castris. nam praeterquam quod multis de causis, ipsius legati videtur esse officium, principem comitari proficiscentem: multa quidem possunt euenire, de quibus sine ulla cunctatione cum principe

agendum

agendum omnino ſit. Præclare igitur fecit Aloiſius Mocenicus eques, quem paulo ante nominaui, vir ſingulari ſapientia præditus; qui, cum eſſet ad Carolum V. a Rep. miſſus legatus, eo tempore, quo Cæſar in Germania magnum cum iis principibus, & liberis ciuitatibus, quæ a ſacroſancta Rom. Eccleſia receſſerant bellum gerebat; atque ipſe erat in caſtris; ab eiuſdem latere numquam diſceſſit. ac, cum caſu accidiſſet, vt Cæſar ipſe cum paucorum comitatu ad quendam locũ, præter omnium opinionem, improuiſo ire pergeret ſic, vt ſe in fugã quodã modo dare videretur; cumq; ceteri maximorũ principum legati Carolum ſequi nollent, affirmantes, ſe neſcire, vtrum Cæſaris eſſet ille diſceſſus, an fuga; ac Mocenicum, vt idem faceret hortarentur; reſpondit ille, aliud eſſe principis vnius, aliud Reip. eſſe legatum: alterum vni tantum; multis alterum ſatisfacere debere. cæteri igitur legati Ratisponæ, vnde Cæſar profectus erat, manſerunt; Mocenicus autem apud eundem, ad quem miſſus erat, principem eſſe voluit omni tempore; ac prudenter quidem fecit. nam paucis interiectis diebus, magna quædam Reipub. negotia, quæ cum ipſo ſtatim agenda erant, transegit. eo autem bello confecto, Mocenicum ipſum non modo non petentem, ſed pene recuſantem Cæſar equeſtri dignitate deco-

rauit; ac publice dixit, se hunc honorem illi merito tribuisse; quia semper eum habuerat comitem omnium itinerum, laborum, & periculorum. Sed iam ad reliqua pergamus. Legati etiam munus est non in postremis habendum; vt summam adhibeat diligentiam, rebus in omnibus, quæ euenerint, cognoscendis; ita tamen, vt non speculator potius, quam legatus videatur, quẽadmodum Philippi Macedonum Regis legati habiti sunt. modeste igitur perscrutetur, & inuestiget omnia; quod satis commode assequetur si faciet omnibus sui conueniendi potestatem; ac si multos nobilissimos viros sæpe magnificis prandiorum apparatibus excipiet. nihil igitur conquirat curiosius; nihil indaget de alio per speculatores; sed per homines nobiles, & ingenuos potius cognoscat, velut per eum, qui sit a secretis secum missus, quem volumus esse prudentem, & ornatum rebus omnibus; de illius autẽ persona, nobis est in animo separatim librũ conscribere. Præterea vero multum studii legatus debet adhibere ad mittendas litteras, & nuntios suo principi, cuius semper est animus nouarum rerum exspectatione suspensus: ac scribere quidẽ subtilissime, ac diligentissime omnia verba principis, ad quem legatus est missus; præsertim respõsa quotiescũq; publicis de rebus habetur sermo: respõsa autem

tem principis perſcribere; atq; etiã poſtulata ipſius exponere debet iiſdem verbis, quo ad eius fieri poterit; nec vllo modo addere, vel detrahere quidquã. quod grauiſſimo Homeri teſtimonio cõprobatur; is enim legatos facit eadem prorſus verba exponentes, quæ ab iis audiuerunt, a quibus miſſi ſunt. id autem factum eſt, tũ, quod vel vno verbo addito, aut detracto, mutari fere tota ſententia, ſeu, aliqua ſaltem ex parte, videtur poſſe; tum etiã, quod dedita opera, obſcura quandoq; reſpõſa dãtur, quę obſcuris quoq;, & inuolutis verbis proferuntur. Verum ceteris in rebus, de quibus ſuum principem legatus facit certiorem; & rerum vrbanarum in actis perſcribẽdis, quã maxime poterit, breuitati ſtudebit. nam eorum orationes laudabiles ſemper fuerũt, qui multa paucis verbis complexi ſunt; ſed dilucide tamen, planeq; dicat neceſſe eſt; nec quidquam prætermittat, quod pertineat ad percipiendam ſententiam. neque vero breuiter, & abſolute omnia ſemper conſcribenda ſunt; interdum enim in aliqua parte breuitas laudem non habet, nec dignitatem. narrabit autem rem breuiter, & dilucide, ſi nullum in oratione verbum redundauerit; tum enim eſt breuitas, cum tantum verborum eſt, quantum oportet. Sed hæc quidem hactenus. nunc videamus, vtrum munera accipere legatus poſſit. Mos erat

antiquus omnium fere gentium, vt Reges, & Principes legatis ad ſe miſſis aliquando, honoris cauſa, munera darent, quæ quidem illi accipere honeſte poſſe videbantur. Sed quoniam ſæpe fidem legatorum, qui multis erant largitionibus pene corrupti, Reges conabantur labefactare; lege ſancitum eſt; ne quis legatus dona deinceps caperet: etenim lator legis exiſtimabat, eum, qui ſemel munera accepiſſet, non optimum publicorum commodorum iudicem amplius futurum. quare legati Thebanorum pecuniam, & vaſa aurea, & argentea, quibus illos donare volebat Philippus, reiecerunt, ne cui ſuſpicionem darent, ſe negotia ſuæ patriæ vendidiſſe. nos igitur, quia mos hiſce temporibus antiquus manet, vt maximi Reges, & Principes dare legatis munera ſoleant; ea putamus, ſi honoris tantum cauſſa dantur, accipienda: videtur enim Princeps, hoc genere officii ſignificare, ſibi gratum fuiſſe, atque probatū hominem, qui apud eum legationem obierit. Cum legati Corinthiorum munera, quæ illis Dionyſius Syracuſanus detulerat, noluiſſent accipere; id ei viſum eſt indignum, dixitque, legatos, quod ſolum boni tyrannidi relictum erat, ſuſtuliſſe; docebant enim vel beneficium non eſſe a tyranno accipiēdum. Si vero munera ad corrumpendum, aut turpi aliqua de cauſſa, legato miſſa ſint, ea debet

ille ſtatim a ſe reiicere. Præclare igitur Demoſthenes Athenienſium legatus, qui Philippi Regis dona contempſit, propter hanc cauſſam; præclare item C. Fabricius a Romanis ad Pyrrhum Regem legatus miſſus, qui nullis vmquam blanditiis, nullis muneribus, & largitionibus ſe corrumpi paſſus eſt; vnde tantam viri conſtantiam Rex demiratus, pacem maluit habere cum Romanis, quam illis vmquam bellum indicere. contra, turpiter Æſchines, qui in ea legatione, quam cum Demoſthene obiit apud Philippum, largitionibus eſt eodem tempore corruptus. his igitur expoſitis, intellectum putamus, quomodo legatus noſter capere dona poſſit. nũc reliquas partes, quæ in legati officio continentur, deinceps perſequamur. Legatum nolumus maioris principis vllo modo cedere locum legato principis minoris; ac ſi hac de re forte veniret in controuerſiam, tueatur omnino iura, & priuilegia ſui principis; & fugiat potius congreſſum alterius legati, quam illi vmquam locum cedat. Si vero ad ſolennes, ſacrasve cæremonias vocaretur, ſe minime conferat, niſi de loco ipſius ſic certi aliquid habeat, vt ſuſpicari non poſſit de contentione, in qua ſi forte dimitteretur, nimis graue præiudicium in eum principem, cuius eſſet legatus, factum videretur. Ac quoniam principes ipſi hiſce temporibus, ad

indicandum eorum dignitatem, & imperii magnitudinem, tanti æstimant, se aliis præferri, vt nihil supra; hoc ego legato maxime cauendum puto, ne, cessione loci, aut aliqua alia re, in qua temere consentiret, sui principis existimationem offenderet. Multi enim sunt, qui antiquitate principatus, dignitate, insigni aliquo titulo, potestate, ditione, auctoritate contendunt:& propter hāc causam summo quidem studio euigilandum est legato, vt sui principis iura, vbicumq; sit, inuiolata seruentur; sed si casu aliquo interesset legatus noster altercationibus aliorū legatorū, quæ haberentur hac de re, siue publice, siue priuatim, quas tamen deuitare prorsus debet, nullo pacto verbū aliquod inferat, nec se quoquomodo intrudat, aut interponat; nihil deniq; dicat, aut faciat, ne alterutri ipsorum in re tanti ponderis (quod summæ leuitatis esset) fauisse videatur. multa prætereo consulto, & hac de re scribo parcius, quod locus minime postulat longiorem orationem. *Officium* quoq; legati existimamus, rebus in omnibus seruare consuetudinem illius aulæ, in qua erit. In victu vero, vestitu, ædium ornatu, supellectile, ceterisque rebus, a magnificentia numquam debet recedere. nihil deniq; desit ad elegantiam, ad splendorem, ad lautitias. Quod reliquum est huius institutæ tractationis, spectat ad legati officium,

post reditum ad suum principem. Postremū igitur erat munus legati, quod ad legationē maxime pertinet: nimirum, vt in reditu, quæ in legatione egerit, & notauerit, suo principi diligentissime renunciet; deinde vero exponat vires, & potentiam; ditionem, & imperium; vectigalia, & ærarium; coniūnctiones, & affinitates, formam administrationis; naturam, & mores principis, apud quem legationem obierit; & eiusdem etiam animū erga ceteros principes. Permagni quidem, vt opinor, interest, renunciare legationem: qua in re maxime requiritur fides, & iudiciū. nam, cum maximis, grauissimisq; de rebus, ex renunciationibus legatorum, deliberare principes soleant; vera in primis legatus, & salutaria omnino dicat oportet: deinde vero ea, oratione sua, tantummodo complectatur, quæ sint necessaria, & vtilia; cetera inania, & leuia, tamquam superuacanea, prætermittat. Profecto maiores nostri, cum multa diuinitus in hac Republica instituerunt; tum illud omni laude dignissimum decretum fecere, vt legati, vbi in patriam reuersi essent, ad Senatum referrent, de rebus omnibus, quæ ab illis essent in legationibus acta, notata, & animaduersa. Recte illud quidem; atque prudenter, multis de caussis factum est. Etenim optimos illos, & clarissimos viros longa vita docuit,

vſusque rerum maximarum; nihil eſſe ad ciuitatem inſtituendam, & conſeruandam vtilius; nihil ad Remp. bene, & feliciter gerẽdam magis neceſſarium, quam notitia earum rerum, quæ in omni genere principatus, ad imperii magnitudinem, & conſeruationem potiſſimum ſpectant. Ex hac autem præclara cognitione, ipſi maiores noſtri, ſapientiſſimi homines exiſtimarunt, ſe poſſe egregia aliorum inſtituta, & conſuetudines tenendo; contraria reiiciendo, vitia corrigere, ſi quæ ineſſent in Republica & optimam adminiſtrandi formam, viamque reperire. quin etiam ex eadem cognitione, iudicarũt, ſe poſſe facile intelligere, quanti faciendus, quantique æſtimandus eſſet vnusquisq; princeps; qui cum deberent magis amicitiam, & beneuolentiam conſeruare; quos magis timere, ac ſuſpectos habere; ac denique maximis de rebus deliberantes, ſe optima conſilia eſſe capturos arbitrati ſunt. hanc vero notitiam, quam omnes vndique principes, diuerſa fere, ac diſſimili ratione, ſemper conquiſiuerunt; noſtri ex renunciationibus legatorum, habere facile, & recte poſſe credidere. Legati enim, qui diu multumque potentiſſimorum Regum in aulis ſunt verſati; qui ſæpe cum nobiliſſimis, & præſtantiſſimis viris cõgreſſi ſunt, obſeruare multa, in dies ſingulos, magna, & illuſtria potuerunt. quamobrem

em qui hanc Rempubl. superiori memoria, nultis optimis, sanctissimisque legibus orarunt, legatos post eorum reditum in patriam, ad Senatum referre voluerũt. ac multi quidem ex huiusmodi orationibus, quæ non multum differre videntur ab historia, & laudem maximam, & auctoritatem sunt amplissimam cõsecuti. Sed quoniam solitos esse principes affirmauimus, maximis de reb⁹, ex renunciationibus legatorum, deliberare; legatum in primis volumus referre, omni animi perturbatione posthabita. non enim suo principi, aut Reipublicæ videbitur profuisse, si quæ narrauerit profecta erunt ab amore, vel ab odio, quo eum principem, apud quem legationem obierit, prosequetur. nullam igitur esse debere arbitramur in referendo, suspicionem gratiæ, nullam simultatis: deinde vero legatum volumus, in renunciatione legationis, ex animo, vereque dicere quæ sentiat; & quæ sint optima suoque principi vtilissima, libere consulere. nam bonum consilium id est, quod spectat ad meliorem ciuitatis institutionem, & salutem. hoc in Alcibiade scriptum reliquit Plato. quod ego, cuius animus semper fuit, veteri maiorum meorum instituto, in patriæ charitate infixus, ita memoriæ mandaui, vt in mea mente iam penitus insidere videatur. Sed de legati officio dictum est.

OCTAVIANI MAGII DE LEGATO

LIBER II.

SECVNDVS hic liber finem faciet magni,&perdifficilis operis quod paulo ante a nobis institutũ, nunc exædificandum est; in quo quidẽ libro præclaram illam,& eximiam, quam adamamus, perfecti legati speciem, si minus expressam, & perpolitam relinquemus; ita tamen erit ea ipsa imago, vt opinor, adumbrata, vt si quis forte pictor egregius eam aliquando cernat inchoatam, politissima arte perficere breui posse videatur. quare fingendus est nobis hoc loco legatus, tum optimarum artium studiis,atq; omni liberali,dignaque homine nobili instructus doctrina; tum etiam omnibus præditus virtutibus, atq; ornamentis: ac nobis est conformandus singularis quidã vir,atq; admirabilis,qui sit regendæ ciuitatis scientissimus;qui vsum habeat omnium rerum maximarum, & publicarum; qui multa viderit, legerit, auribus acceperit; siluam rerum sibi compararit; qui sit perfectus in omni genere sermonis;sit omni laude cumula-

umulatus, ac denique cui nihil ſit neq; a na-
ura, neq; a doctrina denegatum. Effudimus
omnia, & ea ſummatim, quæ ſunt illi maxi-
me tribuenda, qui legati teneat perſonam, ex
quibus eſt coniectura facilis, qualis ille, &
quantus ſit futurus. Sed aliquis fortaſſe mi-
rabitur, quid ſit cauſſæ, quamobrem tantam
complecti velimus ſcientiam, vimque do-
ctrinæ, cum id non modo difficile factu ſit,
ſed ne fieri quidem vmquam poſſe conſtet,
præſertim in hac noſtra tam actuoſa vita, no-
ſtrisq; tãtis occupationibꝰ. quis enim omniũ
laudandarum artium, & ingenuarum diſci-
plinarum, quarum pene eſt infinita vis, pote-
rit ſcientiam cõprehendere? nonne animad-
uertimus, ex omnibus iis, qui ſummis inge-
niis præditi, otioque diffluentes, omni ſtu-
dio, vigilantia, aſſiduitate, in ſingulis tantum
artibus, vel diſciplinis elaborarunt, totasque
ætates contriuerunt, perraro exoriri aliquẽ
excellentem? profecto nemini debent infi-
nita videri ea, quę ſunt a nobis propoſita; nec
debet quisquam iudicare, tantum eſſe one-
ris impoſitum legato noſtro, quantum ſuſti-
nere haudquaquã poſſit. nam hęc tanta, tãq;
multa legato profitenda non arbitramur;
neque eum facimus diſputantem quacum-
que de re; aut perſonam imponimus Leon-
tini Gorgiæ, vel Elei Hippię; qui cũ eſſent glo-
riati in illa quinquennali celebritate ludorũ,

nihil esse vlla in arte, quod ipsi nescirent, ac non profiterentur; perobscuras, & perdifficiles quæstiones posuerunt, vnde a veteribus *Sophistæ* sunt nominati. Nos autem nō hæc ita statuimus, atque decernimus; satis esse dicimus legato nostro, aliquibus in artibus, ac disciplinis, vt Mathematicis, quæ reconditis e fontibus hauriuntur, ceterisque in media philosophia retrusis, ita eruditum esse, vt si quæ res inciderit huiusmodi, in qua dicendum sit, minime eius videatur rudis, & ignarus: neque enim perfecta harum rerum cognitio est illi tam necessaria (nisi quatenus attinet ad philosophiam) quam earum, quæ pertinent ad ciuitatum gubernacula; ad Respublicas; ad legum lationes; ad mores hominum; ad vitam, ad virtutem, ad beate viuendum; quæ omnia sunt ingenuo, liberaliterque educato dignissima, nec tantummodo debent primoribus attingi labris, sed necessario percipi prorsus, & comprehendi. etenim nullum putamus aut haberi, aut nominari posse legatum egregium, cuius animus non sit & præstantibus excultus disciplinis; & clarissimis virtutibus perpolitus. tantum ne onus legationis, nulla rerum cognitione; nulla scientia ornatus aliquis suscipiet? tantum ne munus, tamque præclarum omnis expers virtutis, & eruditionis quisquam sustinebit? atqui ne priuatus quidem, domesti-

cis

is in rebus, ne dum is, qui publicis in negotiis ſemper verſatur, optimam vnquam ſequetur rationem, niſi doctiſſimorum hominum præceptis, quæ litteris continentur, abundabit. Mihi quidem certe illa Platonis, grauiſſimi auctoris, ſententia vera, ac ſapiens ſemper eſt viſa: *Beatas omnino fore Reſpublicas, ſi eas docti, aut ſapientes homines regere cœpiſſent.* Itaque legatus, ſine quo recte adminiſtrari ciuitas non poteſt, non tam ſummis eſt laudibus ad cælum efferendus, ſi ſit ornatus rebus omnibus, quam ſi rudis, & imperitus, maxima ignominia notandus. Enimuero nihil eſt, ex omnibus rebus, præſtantius cognitione, atque ſcientia, quibus ſublatis, vitæ noſtræ miſerrima videtur eſſe conditio, vel potius vita nulla omnino eſt. Simul enim tollatur neceſſe eſt omnis ratio & vitæ degēdæ, & rerum gerendarum. quod ſi vitam humanam quotidie videmus errore perturbari, & inſcitia; ſcientiamque & cognitionem eſſe ſolas, quæ nos e tantis tenebris, cæciſque nubibus, in lucem vocent; has ſi quis tollit ex animis noſtris, doctrinas item, ac virtutes omnes, quæ noſtram vitam ornant, & conſeruant, tollere videtur: atque hominem natum negat ad intelligendum. In quo autem differt natura hominis a ceteris animantibus? quam habet ab iisdem diſſimilitudinem? nempe, etſi multa nobis commu-

nia cũ brutis a Deo tributa ſunt; duabus tamẽ rebus eximiis, antecellimus belluis: nimirũ notione, ſeu intelligentia rerum, quas natura in vniuerſo mundo, vel ipſe naturæ parẽs genuit Deus; atque etiam facultate dicendi, qua mentis cogitata exprimere copioſe, & ornate, quæ ſentimus, eloqui poſſumus. quæ res igitur duæ nos plurimum faciũt a beſtiis differentes, tanti, meo iudicio, æſtimandæ ſunt, quanti dignitas, vita, ſalusque noſtra. quid enim eſt cauſſæ, cur rationem ipſam, qua nihil eſt diuinius, & qua proxime ad beatarum mentium, ſeu potius ad præpotentis Dei ſimilitudinem accedimus, paruifaciamus? orationem vero omnium reginam rerum & clariſſimum lumen ingenii, eloquentiam contemnamus? Sed quoniam Socrati, qui ſapientiſſimus omniũ eſt ab Apolline iudicatus, nihil eſt viſum ſciri certũ poſſe; nihil plane cognoſci, & percipi; cui deinceps eſt aſſenſus Arceſilas; quod omnis cognitio multis, magnisque ſit obſtructa difficultatibus, præſertim rerum cæleſtium, quæ immutabili æternitate continentur, & quæ procul ſunt a noſtra cognitione; multi hanc cauſſam arripuerunt ad reprehẽdendos eos, qui interioribus, & reconditis litteris eſſent dediti; ac præclara hominum ingenia, quæ ad optimarũ artiũ ſtudia indies magis excitabantur, ſunt conati retardare. qui ſane homines

n otio languentes, blandisq; voluptatum,&
ibidinum illecebris deliniti, non eſt dubiũ,
quin ab aperta,& ſimplici,& directa beate vi-
uendi via ita deflectant, eumque vitæ teneãt
curſum, vt cuius naturæ ſint, penitus obliti,
quoddam cum beſtiis videantur habere cõ-
mercium. Ego vero, fieri poteſt vt errem, ſed
quantuscumq; ſum ad iudicandum, ſic pror-
ſus ſtatuo,& iudico; elaborandum nobis eſſe
cognoſcendarũ rerum in ſtudio, vt, ſi minus
res occultas, & admirabiles, omni ingenii a-
cie, contemplari,& indagare, omni ex parte,
poſſimus; ea ſaltẽ perfecte intelligamus, quæ
pertinent ad vitam communem, & ad bene,
beateq; viuendum, id eſt, de virtutibus, & vi-
tiis; de bonis rebus, ac malis; expetendis, aut
fugiendis honeſtis, aut turpibus, in hac vita
quæramus. nam, aut in natura hominis quæ-
dam vis ineſt rationis,& cognitionis; aut fru-
ſtra dedit nobis æternam mẽtem diuina pro-
uidentia; atque indagatio ipſa rerũ tum ma-
ximarum, tum etiam occultiſſimarum, qua
animi noſtri, naturali quodam quaſi pabu-
lo, recreantur, non modo parum neceſſaria,
ſed inanis prorſus,& inutilis eſt. quare do-
ctiſſimi illi,& antiquiſſimi philoſophi, qui in
rebus occultis,& ab ipſa natura inuolutis, per
tot ſecula, tãto ſtudio, tãtisq; vigiliis occupati
fuerũt, nunc cõtemnendi, aut deridẽdi ſunt.

demens igitur fuit Pythagoras, qui philoſophiæ nomen inuenit; deſipiens Democritus, Heraclitus, Empedocles, Anaxagoras, Leucippus, Plato denique, & Ariſtoteles, quos fere omnes, conſtat admirabili quodam ad philoſophandum ſtudio concitatos, a regendis ciuitatibus, totos ſe ad rerum cognitionem tranſtuliſſe; &, propter diſcendi cupiditatem, orbem omnium peragraſſe terrarum. Fruſtra etiam ſæpenumero clamant illi, *non poſſe iucunde viui, niſi ſapienter*: ac falſum erit quod ſcriptum reliquit illud Græciæ lumen Plato: *nullum maius, aut melius philoſophia a Diis datum munus homini*. Sed ſi philoſophari, aut totum nihil eſt, aut, ſi aliquid minime ad vitæ conſuetudinem, & ad humanam felicitatem neceſſarium, conſequẽs eſt, vt orbis ipſe doctrinarum omnium, & ingenuarum, atq; humanarum artium, quæ vno quodam, ac mirifico ſocietatis vinculo continentur, diſſoluatur: vnde a nobis fruſtra item hoc tempore, & ſine cauſſa ſuſcipiatur labor quærendi legatum præſtantiſſimum ſtudio, atque doctrina, quam maxime requiri opinamur in eo, qui rerum agendarum in ſtudio debeat verſari. Mihi quidem hoc loco, non modo philoſophiæ, ſed etiam artium, & diſciplinarum omnium, quæ naturali inter ſe cognitione iunguntur, ſuſcipienda eſſet defenſio; niſi per ſe ſingulæ ita ſe

ipſas

ipſas tuerentur, vt minime egeant patrocinio cuiusquam. Sed inconſideratis ſermonibus vituperatorum bonarum artium, & doctrinarum, omnia reclamant gymnaſia philoſophorum: vrgent præterea omnes eorum greges, qui omnium ſcientiarum in ſtudiis liberaliſſimis ſemper vixerunt; atque ii, qui diſciplinas exagitant, atque irrident, a gubernaculis ciuitatum, a rebus gerendis, a communi vitæ conſuetudine repelluntur. Sed ne longius faciamus, nos reprehenſores iſtos, & exagitatores ſcientiarum omnium, tot ſapientiſſimorum hominum iudiciis conflictatos, contemnendos eſſe putamus; ac diſciplinis omnibus ingenuis, & liberalibus artibus, vt omittamus ſordidiores, id eſt eas, quas μηχανικὰς Græci vocant, nihil eſſe vtilius; nihil magis neceſſarium viro nobili, qui in Republ. & in maximarum rerum actionibus verſetur, exploratũ habemus. Quapropter quem his in libris formamus, & inſtruimus legatum, volumus præceptis abundare rerum omnium, quæ ad ipſius animum excolendum, & ad ſuum munus ſuſtinendum potiſſimum ſpectent; quibus quidem ſine dubio abundabit, ſi ſe mirificum virtutum, & doctrinarum omnium comitẽ præbuerit. Sed hoc de genere toto, vt eſt propoſitum, accurate dicendum eſt.

Quibus in primis artibus, ac doctrinis legatus debeat esse instructus, CAP. I.

QVONIAM diximus superiori libro, neminem esse legatorum in numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus instructus, quæ liberales solent appellari; & iis eruditus doctrinis, quæ semper aditum summis, & singularibus viris immortalem ad gloriam patefecerunt; huius institutæ scriptionis, ac tẽporis esse arbitramur, eas distinctè, ordineque omnes, quantum in nobis erit, literis persequi. Etenim is, quem nos spectamus, legatus, tanta desiderat adiumenta doctrinæ, quanta fortasse nullus, qui aliam sustineat personam. ac quoniam multum inter se distant omnes fere artes, ac disciplinæ, quibus maxime studendum rebus sit, hoc loco, dicendum est. Principio igitur ei, qui perfectus legatus esse vellet, necessariam putamus esse scientiam sacrarum, diuinarumque litterarum; qua quidem nihil est omnino sanctius, nihil est diuinius: ea vero tãto ceteris artibus, & disciplinis antecellit, quanto res diuinæ præstant humanis; quanto mortalibus, & caducis, æternæ. Etenim sacra in primis sapientia in animis nostris notionem quandam informat præpotentis, & immortalis Dei; ex hac autem cognitione trinum illum, atq; vnum pie, sanctéq; colimus, veneramur, ac contẽplamur: in illo

in illo ſcimus eſſe omnia; ab eo fluere, & manare cuncta, tamquam a fonte bonorum omniū: præterea vero, Deum opt. max. intelligimus ſemper fuiſſe; ſemper eſſe, ac ſemper futurum; vel potius ſemper tantummodo eſſe, cum reliquæ ſint partes temporis dilabētis; cognoſcimus etiam noſmet ipſos; &, omnium cupiditatum ardore reſtincto, humana omnia deſpicimus; & infra nos poſita iudicamus. O vitæ theologia dux, de ſinu æterni patris educta, quæ Dei verbum inſerēs in hominum corda, perpetuam nobis affers ſalutem, & quietem, O clariſſimum vitæ lumē, quod omnes errorum diuidis tenebras; rerumq; cæleſtium diſcutis caliginem, ſic, vt ad procreatorem mundi Deum; ſedemq; veræ beatitudinis, poſſimus penetrare, & aliquando cum illo cęleſtium animorum cœtu, æuo perfrui ſempiterno. Felicem in terris ſine dubio vitam agere videntur ii; qui ſanctiſſimæ, & Chriſtianæ huius doctrinæ ſtudio ſunt ita dediti, vt ab eo numquam diuellātur. hic enim eſt ſuauiſſimus animi cibus, quo ſane tāta percipitur voluptas, quanta ne excogitari quidem poteſt. Quapropter, legatum volumus in primis diuinæ ſcientiæ laudem eſſe adeptum: nam neceſſaria prorſus eſt cognitio ſacrarum litterarum, cum Chriſtianis omnibus; tum iis maxime, qui in Reip. adminiſtratione, vel publicis in negotiis verſātur.

etenim, præter quam quod omne Dei verbũ, & voluntas sacris in historiis continetur; in iisque narratur, quomodo ipse Deus vniuersum hunc mundum constituerit; quæ sit origo peccati; quod ad illud tollendum, & nos seruandos filium suum miserit Christum: ac, præterquam quod ex sacræ historiæ fonte diuina hauriuntur præcepta fidei, & salutis nostræ; multa præterea nobis exẽpla in ea sunt proposita de conseruandis, & administrandis ciuitatibus, legibus, & iudiciis: item origo sæpe describitur, & principium maximorum regnorum; ac quibus de caussis, tot in imperiis acciderint rerum vicissitudines, & rerumpublicarum conuersiones. mirifice igitur legatus noster delectetur oportet lectione librorum, qui Christianam, & verã contineant doctrinam: id enim studium longe ceteris & studiis, & scientiis antecedit; ac nõ solum delectat, sed etiam sine satietate delectat. ad eos autem libros perlegendos antequam aggrediatur, optima diui Augustini præcepta seruare debet. ea sunt; vt Deum in primis ex animo diligat, & timeat, cuius voluntatem pro certo habeat, se sacris in litteris perspecturum: deinde vero in eo sit summa charitas; recta conscientia; fides mira. quinetiam minuat opinionem scientiæ, & arrogantiam; demittat animum, ac mentem; ac denique illud Apostoli cogitet: *Scientia inflat;*

flat; *charitas ædificat.* quæ vero legerit, ac didicerit, ad vnam in Deum referat pietatem, quæ fundamentum eſt omnium virtutum; plus nolit ſapere, quam oportet; nec ea curioſe quærat, aut inueſtiget, quæ non ſunt humanis comprehenſibilia mentibus. Stet illud modo: *Omnia Deo facilia; ac nihil vmquam illi ἀδυνάτον.* neque vero animum patiatur ſuum falſarum, & pernicioſarum opinionum maculis ab hæreticis aſpergi, quos nũquam foueat; numquam tueatur; aut velit apud ſe manere; ſed, velut in corpore, ſi quid putridum, aut peſtiferum eſt, volumus amputari, ne reliquo corpori nocere queat; ſic, ne animis obſint noſtris prauæ impiorũ ſententiæ, radicitùs ſunt ex iiſdem animis extrahendæ; atque hæreticorum ſermones & cõgreſſus omnes fugiendi, quamuis virtute aliqua eximia præſtare viderentur. virtutes enim in illis, qui a vera, & Chriſtiana religione receſſerunt, non virtutes amplius, ſed vitia potius debent appellari. merito. quia in ipſa religione virtutum eſt omnium ſplẽdor, decus, & ornamentum, ſine qua, vt nulla vera vmquam virtus; ita nulla vera laus erit in vita. Itaque legatus religionem potiſſimum colat, qua omnium ciuitatum, & omnium hominum ſalutem cõtineri perſpicuum eſt; Deum ipſum ſemper pura, integra, & incorrupta mente veneretur; ſacrificiis quotidia-

nis, & sacris solennibus, & anniuersariis intersit; det operam diuinis rebus; ac vitam deniq; sanctissime agat, & honestissime. quæ vero ad sacrosanctam Rom. Ecclesiam pertinent; ad ritus sacrorum; ad ius cæremoniarum; item quæ in conciliis, vt ita dixerim, generalibus constituta sunt, cognoscat omnia; nec sit prorsus ignarus iuris pontificii; vt, si quando, his de rebus, cum Pont. max. vel cū alio quopiam sermo habendus sit, earum omnino imperitus minime videatur. Notanda est etiam illi sacris in litteris, tota anteacta vita; & obseruandi mores sanctorum omnium, & apostolorum, qui, Dei interpres, sua in Christum pietate, fide, sanctimonia, suisque rebus pro Christiana religione præclare gestis, nobis cælum reserarunt; pro qua non modo mortem ipsam, sed crudelitatem etiam mortis, & dedecus numquam horruerunt. quod cum ita sit, quid est, quod nos habere debeamus antiquius nostra religione? qua nulla profecto melior; nulla sanctior fuit vmquam. Ac si apud eas gentes, ac nationes, quæ, antequam Christus Dei filius nasceretur, tenebris obcæcatæ, idola venerabantur, tanta vis semper fuit religionis, quæ cuiq; erat propria ciuitati, vt eam rebus omnibus anteponendam censuerint; quanto magis vera nostra est æstimanda religio, vnde salus æternæ vitæ sine dubio pendet?

miseri

miſeri quidem certe, & infelices illi, qui nullam Dei cognitionem habuerunt. Varia numina varię gẽtes coluere, quas in errores maximos incidiſſe, nos, diuina ope, ac benignitate, firmiſſimis ſacræ theologiæ nixi fundamentis, facile cognoſcimus. Quid autem de Deo antiquiſſimi illi philoſophi, qui ſe ad veritatem dediderant rerum omnium, quæ ineſſent in mundo, inueſtigandam? Pythagoras Deum dixit eſſe animum, qui rerũ in natura operatur, a quo animantia, & ea, quę naſcuntur, vitã ſuſcipiunt, Cleanthes, & Anaximenes aërẽ exiſtimarunt eſſe Deũ, Anaxagoras ab iis multũ diſſentiens, Deum eſſe mentẽ infinitã, a qua omnia moueantur, affirmauit; alios autẽ lõge aliter ſenſiſſe cõſtat. Nos vero eò diuinæ prouidẽtiæ debemus magis, quod ſimus ad hæc tẽpora reſeruati, quibus Deus ipſe trinus, & vnus cognoſcitur, & colitur, cũ multis in locis, vtinã in toto orbe terrarum; tum maxime in hac Chriſtiana Repub. quæ, propter hanc præcipue cauſſam, Deo tã cara ſemper fuit, vt tamdiu feliciter integra, & inuiolata permãſerit, quãdiu antiquorũ nulla: mille enim & ducenti fere anni, numerãtur a condita vrbe Venetiis: atque eandem certe Rempublicam credibile eſt, ſummum rectorem mundi, ad conſequentis temporis perpetuitatem, velle dominari. Ac de primo quidem ſcientiæ fonte dictum eſt. De reli-

quis autem differemus, si pauca in primis sumta a nobis erunt ex illa arte, quæ est principium, & instrumentum artium, & disciplinarũ omniũ, sine quo ad eas accedere, meo iudicio potest nemo, i. sine dialectica, quę veri, & falsi notionẽ in se cõtinet; & est pars tertia, ex Platonis, Stoicorum, & Ciceronis sententia, philosophiæ. Ac quoniam nobis est in hoc libro legatus instruendus omni liberali doctrina; primum omnium dialectices cognitionem illi maxime necessariã esse statuemus. Vetus igitur fuit opinio, quæ constat ex antiquissimis philosophorum monumentis, bene cognitam habere disciplinam aliquam, & satis firme conceptam animo; aut stabilem rerum scientiam tenere posse neminem, nisi totam disserendi facultatem adeptus erit. etenim ea est inueniendæ veritatis instrumentum; & ad omnes artes, & doctrinas certissima methodus; cum sola ostendat rationem sciendi; atque in omnes sapientiæ partes diffundatur. Huius igitur artis, quæ sane & magna est, & pertinet ad multos, adiumento, nobis habitum animi prope diuinum comparamus; id est, scientiam, per quam solam possumus felices in hac vita nominari: scientiam vero ipsam habemus ex demonstratione, cuius nobis artem, & præcepta tradidit Aristoteles optime omnium. Quin etiam nos dialectica docet cognoscere

simpli-

ſimplicia, & copulata; ac rem totam in partes diſtribuere; latentem definiendo explicare; obſcuram generibus illuſtrare, & explanare interpretando; item bene diſſerere; quid verum, aut falſum ſit, quid rectum in oratione, quid prauũ; quid conſentiens, quid repugnans, iudicare; ac ſi quid eſt ambigui, vlla in re, tollere. idcirco diuinus Plato magnam quamlibet artem dialecticæ auxilii affirmauit indigere. Egregie illud quidē. quis enim orator? quis poeta? quis hiſtoricus? quis philoſophus? quis denique perfectus mathematicus erit vmquam, ſine præclara iſtius artis cognitione; ſi modo eſt hæc ars; non enim eſt mihi hoc loco diſputandum in contrariam Peripateticorum ſentētiam, qui aut *artē*, aut *ſcientiam* negarunt eſſe logicam; quamquam ipſe Plato in lib. De Republ. *Dialecticam* appellat *artem diſſerendi*. Nos autem eā ipſam ita neceſſariam putamus eſſe omnibus iis, qui alicuius ſcientiæ ſtudio teneantur, vt ſi abſit, eiusdem, cui ſtuduerit, diſciplinæ laudem numquam ſint conſecuturi. Enimuero niſi Epicurus, & Ariſto Chius fuiſſent dialecticæ facultatis ignari, non eſſent vtrique in tot erroribus, & in tanta maximarum rerum ignoratione verſati. Quare legato noſtro, quem nunc inſtituimus doctrinis omnibus; & quem præcipue ornamus eloquētia, tenendam eſſe dicimus hanc facultatem,

& quodam modo ediſcendam. nam, præter quam quod facillime intelliget omnia, quæ a doctiſſimis viris in philoſophia, ceteriſque ſcientiis dicta ſint, exacuet etiam ingenii aciem; & erit ad diſſerendum multo promptior. Sed quoniam acutum hominē, & callidum deſideramus, qui ſagaciter aliquando, cum maxime opus fuerit, & probare, & refellere poſſit quod voluerit: ac quoniam diſertum quærimus ad pertractandos principis, ceterorumq; animos; & ad captādas eorum voluntates; vtrumq; legatū præſtare minime poſſe opinamur, niſi toto animo in dialecticæ ſtudia incubuerit; cuius quidem artis notos omnes prorſus habeat, ac tractatos locos. Etenim, quemadmodum illum vt acerrimo virum ingenio præditum, admirabimur, ſi, quotiescumq; res inciderit, in qua diſſerendum ſit, nihil ipſe defendet, quod non probet; nihil oppugnabit, quod non euertat; ſic eum iudicabimus parum ſolertem, & ingenioſum, fortaſſe etiam hebe[illegible], ſi cui falſo aſſentietur, ac ſi, captionibus dialecticis, ſe a veritate ſinet abduci. quo modo autē eas, ſeu fallaces quasdam concluſiones; aut, quas Græci περειτης. vel παραλογισμοὺς dicunt, quibus, captioſiſſimo quodam interrogationis genere, vtuntur Sophiſtæ, euitabit, niſi optimus erit dialecticus? Itaque percipiat omnino legatus noſter neceſſe

eſt

est omnes totius logicæ partes; eam vero potissimum ediscat, quæ a Peripateticis *Dialectica* proprie appellatur, id est, topica Aristotelica; quibus in libris sunt domicilia locorũ omnium, ex quibus omnis argumentatio, non modo ad philosophorum disceptationem, sed etiam ad quamcumq; rem propositam elici potest. res autem, quæ proponuntur, cadunt, vt apud ipsum Aristotelem est, sub vnum ex his quatuor, quæ logici appellant *Accidens, Genus, Proprium*, & *Definitionem*; atque omnis quæstio est de vno aliquo istorum, vel ad aliquod istorum referri videtur posse. Constare satis arbitror ex iis, quæ a me dicta sunt, in legato acumen requiri dialecticorum; sed non ita tamen, vt ille, adolescentum more, dedita opera, quæcumque dicantur ab aliis, studeat argumentis refellere; & de omni re disputet in contrarias partes: nam sophistæ nomen, quod est maxime fugiendum, adipiscetur. Sed vtatur potius, loco, & tempore, tum probabilibus; tũ certis, ac veris, quæ ipsi dialectica suggeret, argumentis, vt veritatem inuestiget; siue etiã vt quod sumpserit in oratione, probare queat. ac si aliquando in sermone vario incideret aliquid, de quo disputandum esset, modeste se gerat in disputationibus, vt non videatur altercatione & clamore velle aliorum argumenta cõfutare. graues enim eos esse decet,

& moderatos, qui ad disceptationes accedũt. Cum esset a nobis hactenus demonstratum, legatum nostrum oportere dialecticæ studiis eruditum esse, sine quibus, cum nec disciplinarum scientiam vllo modo consequi; nec summis vmquam florere laudibus posse dicebamus; consequens esse videbatur, vt eundem legatum philosophia in primis instituеremus; nisi enim is, quem quærimus, & quẽ regendæ ciuitatis scientissimum esse volumus, atque vsum habere ciuilibus in negotiis, & in maximarum rerum actionibus, perfectam totius philosophiæ cognitionem ceperit, hoc tam graui indignum nomine, atque persona prorsus iudicabimus. Nam magna nobis semper fuit opinio, legatum, nisi qui sapiens esset, esse neminem. nec debet quidem cuipiam admirandum videri, cur ita sentiamus, quia hanc ipsam sententiam hausimus e fontibus sapientissimorum hominũ, qui philosophos affirmarunt eos esse debere, qui in publica administratione, publicisque in negotiis versantur; rerum enim gerẽdarum initia ab ipsa philosophia proficiscũtur. Præclare igitur Plato in lib. De Republ. hoc scriptum reliquit: *Aut regnare philosophos; aut Reges oportere philosophari, si debeat esse ciuitas beatissima.* quomodo autem felix ipsa ciuitas erit vmquam, nisi eius, qui vrbi, & imperio præsidet, vnde exempla quodam modo

modo petimus singularum actionum nostrarum, septus erit animus magnitudine cōsilii; tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus? deinde vero quomodo statui quidquam poterit in ciuitate de religione de iusticia, de legibus, de conformandis hominum moribus; de disciplina iuuentutis, de modo rerum omnium, ac de ceteris rebus, sine quibus nulla esse ciuitas videtur posse, nisi princeps ciuilem scientiam, vel regiam potius disciplinam, quæ in constituendis, & regendis rebus publicis versatur, adeptus erit? Sed vnde hæc tam præclara scientia petenda est? nimirum a philosophia, quæ est vitæ dux; mater omnium optimarum artium; virtutis indagatrix; magistra omnium recte factorum, beneque dictorum. Itaque iure Syracusius ille Dion vehementer optauit, se a Platone, summo philosopho doctrinis omnibus erudiri, quibus postea instructus, se ad liberandam patriam applicauit; ac Dionysium tyrannum ex ciuitate Syracusanorum fortiter exegit. Ac magnus ille Alexander, qui tertiam partem subegit orbis terrarum, non habuit quidquam antiquius, quam vt acciperet ab Aristotele diciplinam: nec fuit quidquam potius Agesilao, maximo Spartanorum Regi, quam vt a Xenophonte institueretur. Honesta sane studia, ac principi-

bus viris perquam digna; ex quibus perſpicuum ſatis eſt, non poſſe quemquam, non modo in procuratione ciuitatis, vel in maximarum rerum actionibus; ſed ne in communi quidem vita, & vulgari hominum conſuetudine, eſſe virum egregium, niſi philoſophiæ præceptis abundauerit. quare nihil eſſe cauſſæ putamus, quamobrem nos ab aliquo, vlla ex parte, improbemur, ſi legatum noſtrum maxime volumus eſſe philoſophũ. Pergratum Romanis feciſſe accepimus Athenienſes, quod cũ eſſent ad Senatũ de ſuis rebus maximis legatos miſſuri, tres illius ętatis nobiliſſimos philoſophos, Carneadem, Critolaum, & Diogenem mittere conſtituiſſent. Quid eſt profecto, quod magis eum deceat, qui tam grauem legati perſonam gerit, quam vt ſtudeat omnium rerum diuinarum, atque humanarum vim, cauſſasque cognoſcere? quid pertinet ad legatum magis, quam vt in primis ſeipſum, quo nihil eſt prę-ſtantius; deinde alios, id eſt, boni ne, mali an ſint, noſcere poſſit? Præterea vero quid ſit ſummum bonum mente comprehẽdat; coërceat omnes cupiditates; perceptas habeat res humanas; quicquid homini accidere queat præmeditetur; nihil admiretur cũ acciderit; non aliunde, nec ex errore imperitæ multitudinis pendeat: quid eſt porro magis legato neceſſarium, quam quid ſit præcipue,

ſuum

ſuum munus, & officium cognoſcere, ac rerum agẽdarum, & conſtituendarum, publicarumque adminiſtrationum perfectam artem tenere? quid eſt illi magis & honeſtum, & vtile, quam rationem inire bene viuendi, & vitæ degendæ ſine mœſtitia; ſine metu; ſine mortis terrore; ſine perturbationibus animi; ſine vitiis? Vnde autem hæc omnia petenda ſunt, niſi ab ipſa philoſophia? quam Plato inquit eſſe inuentum, & bonum Deorum, quo nullum optabilius, nullum præclarius hominum generi datum ſit. Sed cum tota philoſophandi ratio in tres partes ſit diſtributa, quarum vna eſt de natura, & rebus occultis; altera de vita, & moribus; tertia de diſſerendo; eam philoſophiæ partem, quæ in naturæ obſcuritate verſatur, a Thalete emanaſſe nonnulli contenderunt; eam vero, quæ attinet ad mores, ſine dubio primus omnium Socrates euocauit e cælo, & ad vitam communem adduxit. Ac quoniam de ſubtilitate diſſerẽdi ſatis multa allata a ſunt nobis, cum diceremus, legato dialecticam facultatem eſſe neceſſario percipiendam; nunc de duabus reliquis verba ita faciemus, vt oſtendamus, vtriusq; cognitioné ad legati perſonam maxime pertinere, ne, ſine cauſa, eum voluiſſe philoſophum facere videamur. Vniuerſam philoſophiam veteres doctiſſimi homines bipertito diuiſerunt, vt ſit vna pars,

quæ in rerum contemplatione ſita eſt, quam θεωρητικὴν Græci vocant; altera, quæ in actione verſatur, quam πρακτικὴν appellant. atque illius quidem philoſophiæ, quâ rerum omnium, quæ inſunt in mundo, principia, cauſas, & naturas contemplando perueſtigamus, partes ſunt phyſica, philoſophia prima, & mathematica. Eius vero philoſophiæ, quæ poſita eſt in agendo, triplex eſt ratio; id eſt, vna de tuenda re familiari; altera, de ratione morum, ac vitæ; tertia, de ciuitatum adminiſtratione. Nos igitur legato demonſtrabimus onerandum eſſe, complendumque pectus maximis, plurimisque rebus, quæ in tota philoſophia tractantur; ex quibus tamẽ nonnulla, quæ ſunt penitus abſtruſa, atque recondita, vt ſæpe diximus, nec tantopere videntur eſſe neceſſaria, ſatis erit eum tantummodo libaſſe. Sed quia vita contemplationi addicta, eſt omnium optima, ac tanto vitæ præſtat, quæ in actione verſatur, quanto ratio ſenſibus; & animus corpori, cuius eſt ille dominus, & imperator; rerum in primis naturalium, atque cæleſtium cognitione legato opus eſſe dicemus. Is igitur contemplationi maxime deditus ſit oportet; ea enim actionis eſt & principium, & finis; atque in ea ſapientia conſiſtere videtur; ac rerum infinitatem, atque naturæ, cælum, terras, maria ſtudioſe intueatur. Primum autem

m physicorum, legatum nolumus esse ex-
rtem, vt, rerum natura cognita, leuetur
perstitione; quà si quis aliquãdo fuerit im-
tus, nunquam, meo iudicio, esse quietus
terit; ac minime conturbetur ignoratio-
rerum, quo nihil est miserius; nec quan-
nque rem admirari videatur. Turpe vero
et homini, qui maximorum Regum in
lis versaretur; qui sæpe cum doctissimis,
præstantissimis viris congrederetur, lo-
nescire de rerum naturalium principiis,
usis, elemẽtis; turpius esset ignorare, quid
ipsa natura, quid motus, quies, locus, va-
um, tempus; quid casus, fortuna, necessi-
; turpissimum nescire quid sit mundus;
id graue, quid leue; an plures mundi; an
ıdus infinitus; an extra cælum sit aliquod
rpus; qui terræ situs; quot elementa; quo-
odo aliud generetur ex alio; quomodo a-
nantes omnes oriantur; quibus rationi-
s vitam agant; quæ sint stirpium naturæ;
æ denique rerum omnium, quæ è terra
nerentur, caussæ; atque rationes, quas A-
oteles, præter cæteros, acerrimus naturæ
estigator est diligẽtissime persecutus, sic,
ullam partem cælo, terra, marique præ-
miserit, quæ omnia qui prorsus ignorat,
cius, & infelix sine dubio est, nec in ma-
is viris est habendus; immo vero à rebus
édis, & à clarissimorum hominum con-

ſuetudine eſt repellendus. quapropter legatus noſter ea, quæ à philoſophis de rerum omnium naturis explicantur, intelligat; omnem antiquorum, Platonis, & Ariſtotelis, Plutarchi, & Xenophontis, doctrinā complectatur, atq; eorum præcepta, non ad ſcientiam modo, ſed ad vſum etiam reuocet. Eorundem igitur libros quàm ſæpiſſime euoluat, quos tamen ita legat, vt verā ſummorum philoſophorum ſententiā, quoad eius fieri poterit, aſſequatur: quod vt facere commodius queat; Græcorum potiſſimum interpretum vtatur opera. Ego vero ex iis omnibus, qui ſunt, ex omni memoria, Ariſtotelem interpretati, deligendos eſſe opinor Alexandrum, Ammonium, Themiſtium, Simplicium, Philoponum, & Auerroem, Arabum hominem; cunctos excellenti quodam ingenio, atque doctrina præditos, atq; etiam D. Thomam Aquinatem, ſanctiſſimū, & doctiſſimum virū, qui breuitatem quandam cū perſpicuitate coniunxit. Sed in philoſophorum ſcriptis perlegendis, id legato noſtro maxime cauendum puto, ne à vera, & Chriſtiana doctrina aliquo pacto vnquā diſſentiat; minime autē diſſentietur, ſi Thomam, vt dixi, de rebus obſcuris, & ambiguis conſuluerit; nihil vero vnquam conetur acriter defendere, quod Chriſtianæ pietati, quocunque modo, repugnet; vt, Mundum

eſſe

esse æternũ;interituros animos; & quæ sunt generis eiusdem, quæ Christiana veritas improbauit. Ac quanquam Aristoteles videatur mundi æternitatem, probabilibus argumentis, à natura sumptis, defendisse; quia scilicet est æternus motus; quia non est factũ tempus; quia credibile non est, Deum, antequam mundum constitueret, cessasse, & nihil prorsus egisse; nos tamen pro certo habeamus, vniuersum hunc mundum diuina prouidentia constitutum esse, & ab eius etiam procreatore Deo regi, & administrari: qui vero se profitentur scire mundum semper fuisse, nulloque generatum ortu esse, quia ita videtur Aristoteles sensisse, ii, meo iudicio, lõge falluntur; nec fortasse ita sentirent, si meminissent, fuisse hominem Aristotelem, qui errare potuerit, falli, ac decipi, quemadmodum ceteri, qui à Græcis σοφοὶ, id est, sapientes, & habebantur, & nominabãtur. Nonne in errores maximos incidisse Parmenidẽ, Melissum, Heraclitum, ac Democritum, qui de rerum natura locuti sunt, ipse Aristoteles demonstrauit? nonne aliæ sectæ philosophorum; nempe Academica, Stoica, Epicurea, Cyrenaica, quæ erãt olim maxime celebres, multis in rebus, à veritate longissime abfuerunt? quid est igitur causæ, cur Aristotelem tantum ipsum, rebus in omnibus, vera sensisse credamus? fuit quidem

certe ille vir in vero exquirendo admirabilis, & ceteris omnibus, qui vnquam fuerũt, ſine dubio, antecelluit, ſed ipſe quoque errare aliquando potuit. quid? ſtatuit idem Ariſtoteles; immortalem eſſe animum. Præclare. Sed vnum tantum, quod ne dictu quidem fas eſt, inquit eſſe in vniuerſo humano genere; id eſt, vnam eſſe mentem diuinam, & æternam in orbe, qui eſt infra lunam, collocatam, vnde nos delibatos habemus animos; quam quidem ſententiam ſecuti poſtea ſunt Theophraſtus ipſius Ariſtotelis auditor, qui eundem nõ ſecus ſenſiſſe affirmauit; ac Themiſtius, qui è ſole vno, & æterno ſimilitudinem ducens, vnam defendit eſſe diuinam mentem: & addidit etiam hanc rationem, quòd in rebus, quæ ſunt à materia ſegregatæ, vt mens ipſa, non poſſint eſſe plura numero, cum ſit cauſa multitudinis eadẽ materia; huic autem aſſenſi ſunt Simplicius, & Auerroes, qui ſuis in tertium Ariſtotelis de Anima librum cõmentariis, in hanc ſententiam acerrime diſputat; multitudinem vero, & immortalitatem animorum Thomas atque alii pugnaciſſime defendunt. Sed vt eò reuocetur, vnde huc declinauit oratio, legatus in philoſophando non ſe ſinat à vero vnquã abduci, id eſt à Chriſtiana diſciplina, ſed potius in nobiliſſima, ac difficillima quæſtione de Anima, ceteriſque in rebus, aſſen-

ſſentiatur Thomæ Aquinati, atque etiam
Platoni, qui ad Chriſtianam pietatem, præ-
ter ceteros antiquos philoſophos, maxime
accedit. Diximus paulo ante legatum nullo
modo debere phyſicorum eſſe expertem;
quia non modo pulcherrima eſt hæc cogni-
tio, ſed etiam digniſſima hac ipſa perſona,
quam quærimus, in qua nulla, ſine ea, vide-
tur eſſe perfectio. Nunc autem huius ho-
minis excellentiæ conſentaneum eſſe often-
demus, ea quoq; cognoſcere, quæ in prima
philoſophia tractantur, etenim quid magis
legato conueniēs, Chriſtiano homini, quàm
percipere quid ſit Deus? quanta eius poten-
tia, ſapientia, bonitas, prouidentia? quàm in-
telligere quid ſit mens; quorſum à Deo cre-
ata; an altera, vt Auicenna exiſtimauit, ab al-
tera pendeat? Hæc in Metaphyſica explican-
tur, quam merito Ariſtoteles appellat *artem
artium, & ſcientiam ſcientiarum*: huius enim
adiumento contemplamur ea, quæ ſunt á
materia ſeiuncta, & ſcientiarum omnium
principia cognoſcimus. quapropter quo-
modo legatus noſter, qui à nobis inſtruitur
doctrinis omnibus, cuiuslibet diſciplinæ
principia, & elementa percipiet, niſi degu-
ſtauerit ea, quæ in prima philoſophia tradū-
tur? in qua quidem nolo eſſe multus. Sed,
vt aliquando hac de re dicere deſiſtam, ad
Mathematicas diſciplinas, quemadmodum

certè ille vir in vero exquirendo admirabilis, & ceteris omnibus, qui vnquam fuerũt, ſine dubio, antecelluit, ſed ipſe quoque errare aliquando potuit. quid? ſtatuit idem Ariſtoteles; immortalem eſſe animum. Præclarè. Sed vnum tantum; quod ne dictu quidem fas eſt, inquit eſſe in vniuerſo humano genere; id eſt, vnam eſſe mentem diuinam, & æternam in orbe, qui eſt infra lunam, collocatam, vnde nos delibatos habemus animos; quam quidem ſententiam ſecuti poſtea ſunt Theophraſtus ipſius Ariſtotelis auditor, qui eundem nõ ſecus ſenſiſſe affirmauit; ac Themiſtius, qui è ſole vno, & æterno ſimilitudinem ducens, vnam defendit eſſe diuinam mentem: & addidit etiam hanc rationem, quòd in rebus, quæ ſunt à materia ſegregatæ, vt mens ipſa, non poſſint eſſe plura numero, cum ſit cauſa multitudinis eadẽ materia; huic autem aſſenſi ſunt Simplicius, & Auerroes, qui ſuis in tertium Ariſtotelis de Anima librum cõmentariis, in hanc ſententiam acerrime diſputat; multitudinem vero, & immortalitatem animorum Thomas atque alii pugnaciſſime defendunt. Sed vt eò reuocetur, vnde huc declinauit oratio, legatus in philoſophando non ſe ſinat à vero vnquam abduci, id eſt à Chriſtiana diſciplina, ſed potius in nobiliſſima, ac difficillima quæſtione de Anima, ceteriſque in rebus,
aſſen-

assentiatur Thomæ Aquinati, atque etiam Platoni, qui ad Christianam pietatem, præter ceteros antiquos philosophos, maxime accedit. Diximus paulo ante legatum nullo modo debere physicorum esse expertem; quia non modo pulcherrima est hæc cognitio, sed etiam dignissima hac ipsa persona, quam quærimus, in qua nulla, sine ea, videtur esse perfectio. Nunc autem huius hominis excellentiæ consentaneum esse ostendemus, ea quoq; cognoscere, quæ in prima philosophia tractantur. etenim quid magis legato conueniēs, Christiano homini, quàm percipere quid sit Deus? quanta eius potentia, sapientia, bonitas, prouidentia? quàm intelligere quid sit mens; quorsum à Deo creata; an altera, vt Auicenna existimauit, ab altera pendeat? Hæc in Metaphysica explicantur, quam merito Aristoteles appellat *artem artium, & scientiam scientiarum*: huius enim adiumento contemplamur ea, quæ sunt á materia seiuncta, & scientiarum omnium principia cognoscimus. quapropter quomodo legatus noster, qui à nobis instruitur doctrinis omnibus, cuiuslibet disciplinæ principia, & elementa percipiet, nisi degustauerit ea, quæ in prima philosophia tradūtur? in qua quidem nolo esse multus. Sed, vt aliquando hac de re dicere desistam, ad Mathematicas disciplinas, quemadmodum

est à me supra totius philoſophiæ facta partitio, mox aggrediar.

Ac primum dicam, mathematicis artibus, quæ sunt ipſius philoſophiæ partes, nihil eſſe vtilius, nihil magis neceſſarium viro nobili; qui, tum ceterarum ſcientiarum, tũ rerum agendarum in ſtudio debeat verſari. etenim nobiliſſimæ illæ sũt, atq; certiſſimæ ſcientiæ, ſine quibus Pythagoras, qui tãtum in iis poſuerat ſtudii, affirmauit, philoſophiam conſequi poſſe neminem. Plato autem noluit, quenquam accedere ad inueſtigationem naturæ, aut rerum diuinarum, vel ad quancunque diſciplinam, niſi prius mathematicis fuerit inſtruct⁹. cur ita? nempe, quia ita naturâ comparatum eſt, vt omnis ars, atq; doctrina earum indigeat adiumentis. Ad illas vero percipiendas idoneus quiſque, auctore Ariſtotele, poteſt eſſe, id eſt, tam puer, quàm natu grandior, aut ſenex. Sed iam ex iiſdem mathematicis ſcientiis, ſumenda mihi ſunt in primis ea, quæ ſpectant ad Arithmeticam, quæ ceterarũ omnium nobiliſſima, & antiquiſſima eſt. nam immortalis Deus non ſine ratione numerorum, vt placuit Pythagoræ, acceſſit ad vniuerſum hunc mundum conſtituendum, ex quibus conſtare videntur omnia; quia numerus ipſe rebus omnibus prior eſt; atque hinc quatuor elementa; hinc ſeptem errãtes ſtellæ; hinc mo-

tus

rus astrorum, cæliq. conuersio; hinc deniq; illa Platonis sententia de anima, quam desiniuit *esse numerum se ipsum mouentem.* in Arithmeticis primum sit legatus noster exercitatus, quæ quidé cognitio est illi perquàm vtilis, & necessaria. nam si totam compræhenderit numerorum rationem, ceterarum disciplinarum laudem facile adipiscetur, ad quas arithmeticus erit idoneus; atque exacuet etiam, si huic studio se dediderit, aciem ingenii, & acutissimus homo, qualem desideramus, sine dubio euadet. neque id velim mihi tantum credat affirmanti, sed Platoni potius grauissimo auctori, qui in libris De Rep. scripsit, *eos, qui ad Arithmetica studia incumberent, etiam si tardo essent ingenio, acutos fieri.* Debet item legatus arithmeticam tenere, vt, quoniam illum faciemus postea peritum rei militaris, sciat, cum maxime opus erit, aciem, & exercitũ instruere, & propter hanc causam necessaria videtur, vt apud ipsum Platonem est, militi numerorum cognitio. Præterea vero arithmetica disciplina legatus noster vti poterit, tanquam instrumento ad architecturam, cuius artis legatum nolumus esse expertem, quamuis illa in numero habeatur earum artium, quæ μηχανικαὶ à Græcis appellantur, quarũ ipsam architecturá Aristoteles inquit esse reginá; eiusq; finé ceterarũ omniũ, quę ad opifices

pertinent, perfectissimum. Plato autem architectum contemplationis inquit esse participem, quia nō est ipse operarius, sed operariis præest. Verum redeo ad Arithmeticam, qua quidem arte debet etiam legatus esse præditus, vt sciat, vel priuatas, vel publicas tabulas conficere; vt possit cum altero contrahere; ac denique cum aliquo transigere iis de rebus, quæ requiruntur in vita, in quibus bonus sit ratiocinator necesse est. Porro autem permagni refert cognoscere, quid sit numerus; qui par, aut imperfectus; qui harmoniacus, aut geometricus; qui numeri contra se primi; quot numerorum species, & proprietates; quæ proportiones; quæ figuræ, id est, vt vtar artis vocabulis, quæ triangulares, pentagonæ, exagonæ, circulares, pyramidales, cubæ, & id genus reliqua, quæ sūt à Boëtho, & ab aliis subtilissime tractata. ac de prima quidem mathematica disciplina satis; de tribus autem reliquis, vt erat propositum, dicendum est. Locus igitur postulat, vt à nobis de *Musica* dicatur, quam Plato in lib. de Rep. Astronomiæ similem dixit; & has ambas, quod Pythagoreis assentitur, vicissim germanas esse scientias asseuerauit. quocirca, quemadmodum ad Astronomiam oculos, sic ad harmonicum motum datas nobis esse aures censuit. Est enim harmonia temperantia quædam, quæ animos no-

ſtros quaſi concordia quadã placat, & lenit. Itaque recte præcipit idem Plato, vt homines in Muſicis, quæ numeris, vocibus, & modis continentur, ſe exerceant. nam harmonia conſtantem efficit habitum animi; iram lenit; libidinem cohibet; dolorem exhaurit; curam demum leuat, & angorẽ. Præclare igitur Theophraſtus naturam Muſicæ explicauit, cum diceret eſſe motum animæ ab ea perturbationes depellentem. Quapropter qui legatus eſt futurus, muſicæ, ab ineunte ætate, mirifice deditus ſit oportet, vt, hac duce, & vitæ ſocia, ipſius in primis animum, & mentẽ conformet; & ita conformet, vt nihil vnquam agat, quod ab honeſto ſeparetur, ſed omnis eius actio pendeat ab vna virtute; deinde honeſta quæ vere ſunt laudet, ac deligat; contraria improbet, atque reiiciat; poſtremo, vt muſicæ artis peritus nullus vnquam aut incompta, aut inconcinna vtatur oratione; omni loco, & tempore decorum ſeruet; modeſtiam denique, ac verecundiam colat. hi ſunt maximi, & vberrimi fructus, qui ex Muſica percipiuntur, propter quos in Græcia Muſici floruerũt; Græcí enim homines in omni diſciplinarum genere præſtantes magnam diligentiam contulerunt ad erudiendos Muſicà adoleſcentes, quorũ animos ad modeſtiam, ac moderationem iſta arte conformandos eſſe arbitrati

ſunt; quam quidem vtilem etiam iuuenibus iudicarunt eſſe ad bellicam laudem. nam ad excitandos hominum animos ad bellũ fortiter cum hoſtibus gerendum, tibiis quibuſdam vtebantur, ante quam in aciem prodirent; & propter hanc cauſam Rex Lacedæmonum Lycurgus, qui ſuis ciuib⁹ leges tradidit, cum bellica exercitatione Muſicæ ſtudiũ copulauit. Eſt igitur Muſica legato noſtro, cum, multis de cauſis percipienda, ſine qua negauit Plato quenquam fieri poſſe ſapientem; tum maxime, vt æqualitatem teneat vniuerſæ vitę, ac ſingularum actionum. nam, vt in fidibus, ac tibiis, & cantu ipſo cõcentus eſt quidam tenendus, quem aures eruditæ ferre nequeunt immutatum, ac diſcrepantem; ſic in actionibus moderata quædam, & conſtans ratio ſuſcipienda eſt; ita vt omnes æque quodam modo conſentiant, atque concordent. hinc Plato numerum, modum, ſonum, & concentum; & cetera, quæ ſunt in muſicis, imitationes quaſdã eſſe morum affirmauit; hinc etiam cantores, apud antiquos, morũ magiſtri ſunt & habiti, & appellati. Satis multa de Muſica; nunc de Geometria dicamus, quæ in punctis, lineamentis, interuallis, magnitudinibus, ſuperficiebus, corporibus, triangulis, quadratis, & id genus formis, & dimenſionibus verſatur. huius quidem artis, quam Euclides,

clides, & Archimedes tractauerunt, cognitio vtilissima erit legato nostro. primum enim permagni interest ad disciplinas omnes facilius percipiendas, attigisse Geometriam, quam Plato noluit eos contemnere, qui in sua Rep. versarentur. Nos autem eam magno vsui legato futuram arbitramur ad ciuitates, castella, arces, domus, agros dimetiendos: ad rem vero bellicam, id est, ad castra ponenda; ad regionem occupandam; ad colligendas turmas; ad omnes denique machinas, quibus in exercitu, vel in itinere vti solemus necessariam. Idcirco legatum nolumus ipsius Geometriæ, quæ summo apud Græcos in honore semper fuit, esse prorsus expertem; sed de geometricis quoque rebus tantum volumus delibasse, quantum ei satis esse videatur. Sic etiam de *Astrologia*, cuius nullo pacto legatus esse debet penitus ignarus; nam, præterquàm quòd ea est physicæ scientiæ proxima, dat nobis exquisitam rerũ cælestium cognitionem, quæ profecto est admirabilis. Quid enim est præclari⁹, quàm scire sphærarum numerum, cæli conuersionem; Solis, Lunæ, siderumq́ue omnium distinctionem, varietatem, pulcritudinem, ordinem? Nonne legatum decet, qui debet rebus omnibus circumfluere, cognoscere primum, terram esse in media mundi parte collocatam, aëre vndique circumfusam,

ſupra aërem eſſe æthera, qui ex altiſſimis conſtat ignibus;ex æthere immenſa, & lucida ſidera, quorum alia inhærent cælo; alia motu quodam errare videntur ſuo; atque horum princeps eſt Sol omnia clariſſima luce colluſtrans, & eſt maior vniuerſa terra. Deinde vero num neſcire legatus debet, Solem ipſum diem efficere, luce toto cælo diffuſa, orientem, noctem autem conficere occidentem? poſtremo eiuſdem defectiones, itemq; Lunæ ignorabit? aut quo modo ipſa Luna cum Sole congrediatur; digrediatur; ab eo lucem accipiat; atq; in terras mittat; quo pacto demũ huius ortu, aut obitu æſtus maritimi, fretorumq; anguſtiæ commoveantur? Hæc ſunt magna, ac diligenti contemplatione digniſſima, quibus legatum oportet eſſe inſtructum; cetera vero, quæ pertinent ad iudicia, in Aſtrologia prætermittenda ſunt; non enim legatum facimus vatem, aut Chaldæum, qui olim in Syria aſtrorum cognitione præſtantes, profitebantur, ſe cuique poſſe prædicere ex natali die, quid illi euenturum, quove fato natus eſſet, quibus tamen hominibus, in prædictione, & notatione cuiuſque vitæ, Eudoxus in aſtrologia facile princeps ſcripſit non eſſe credẽdum. Atque hæc de mathematicis. Nunc autem ad reliquam partem propoſitæ diviſionis revertamur. Eam igitur philoſophiam,

quæ

quæ in agendo verſatur, tripertito diuidebamus; vt vna eſſet de vita, & moribus; altera de tuenda re familiari; tertia de ciuitatibus adminiſtrandis. atque hanc totam philoſophiam legato in primis eſſe neceſſario percipiendam dicebamus; quia continet præcepta vitæ, quæ illi non modo diligenter tenenda, ſed frequentem etiam ad vſum reuocanda ſunt. Primum autem plurima teneat præcepta legatus noſter rei familiaris adminiſtrandæ, quæ ſunt à Platone, Ariſtotele, & Xenophonte tradita. nam gubernandæ familiæ peritum ad ciuitatis adminiſtrationẽ magis eſſe idoneum, quàm eum, qui in œconomicis nunquam ſit exercitatus, ſapientes iudicarunt. Eſt enim domus quaſi quædam parua ciuitas; ciuitas vero magna domus. quare legatum volumus etiam bonum eſſe œconomum, id eſt, iuſtum, & prudentem, cuius finis eſt, nihil vt ſibi vnquam deſit, ex iis rebus familiaribus, quas tempus, & humana neceſſitas flagitat, ad moderatam, nobiliq́ue viro dignam vitam agendam. ea igitur, quæ ad rem domeſticam, & familiarem ſpectant; hauriat è fontibus philoſophorũ, præſertim Socratici Xenophontis, qui mihi videtur has res optime omnium perſecutus eſſe in eo libro, qui *Oeconomicus* inſcribitur. Præterea vero legato noſtro ea potiſſimum eſt pars ediſcenda philoſophiæ, qua virtutes

omnes, & officii, ac bene viuendi diſciplina continetur. nam ſi virtute præditus, præter ceteros, nobis eſt legatus cõformandus, vnde virtutem ipſam cognoſcet, niſi ab eiuſdẽ indagatrice, atque ab ipſa animi cultura, philoſophia? ac ſi nobis eſt fingendus legatus, detractis omnibus vitiis, vnde vitiorum, & peccatorum medicinam petet, niſi ab eorundem expultrice philoſophia? Si legatum fingimus temperatis, moderatisque moribus, vnde præcepta ſumet de iis conformandis, niſi ab ipſa magiſtra morum? Si eum volumus eſſe ad omne officii munus inſtructum, vnde tam præclaram accipiet diſciplinam, niſi ab ea philoſophiæ parte, in qua vberrimus eſt de officiis locus: ſi denique legatum volumus beate viuere, quo pacto felicitatem, & ſummum bonum, quod eſt extremum rerum expetendarum, poterit aſſequi, niſi per eam philoſophiam, quæ nobis bene, beateque viuendi præcepta tradit? Beate igitur viuere in primis ſtudeat legatus noſter, ſed felicitatem ſuam, aut ſummũ bonum, quod omnes quodam modo appetũt, & quò referuntur omnia, non ponat in corporis voluptatibus, vt olim Ariſtippus, & Epicurus; non in diuitiis, vt Rex Phrygũ Midas, qui χρυσομανὴς eſt appellat⁹, ob inexhauſtã auri auiditatẽ: non in honore, vt alii qui eũ vere ciuilis vitæ finem exiſtimarunt; ſed

in acti-

In actione tantum, quæ cum virtute coniuncta sit, in vita perfecta. Hanc esse veram felicitatem, & verum hunc esse, atq; supremum finem Aristoteles, summus philosophus, apertissime declarauit; cetera enim, vt voluptas, diuitiæ, honores, propter alium finem expetuntur, ac sunt in fortunę potestate constituta. beatũ vero scim⁹ esse neminẽ, nisi fixo, & permanente bono; nihil autem inueterascat; nihil extinguatur, nihil cadat eorum, quæ in vita beata consistunt, necesse est. Iam vero legatum nostrum ad ciuilem scientiam deducamus, in qua longe omniũ volumus esse principem. ciuilẽ enim artem supra ceteras omnes, philosophi constituerunt, eamq́ue dixerunt esse dominam studiorum omnium, quæ spectant ad societatem, communitatẽq; generis humani. huic autem scientiæ subiecta sunt vitæ negotia, & actiones; atq; eiusdem finis est, non cognitio, sed actio; ministræ vero sũt artes omnes, quibus imperat illa; & est præstantissima scientiarum. ac quoniam legatum quærimus prudentem hominem, & in agendis negotiis; in procuratione ciuitatum; atque in consiliis capiendis egregium, qui semper aliquid dicat, faciat, cogitet dignum ciuili viro, nihil esse opinamur, quod ad ei⁹ personam pertineat magis, quàm ciuilis disciplina, quam Plato regiã appellauit; & in omnibus

fere suis dialogis quærere videtur; & ita quærere, vt eam demum à philosophis petendam esse affirmet, sine qua rerum agendarum studium, cuius finis est optimus, & perfectissimus, inane prorsus esse videatur. Hanc vero vniuersam scientiam si legatus noster erit adeptus, omnem item ciuilis administrationis rationem complectetur; ac iudicare facile poterit quæ sit optima ratio gubernandi, ex iis tribus ciuilibus administrationibus, quæ sunt à veteribus instituta; quarum vna, est *vnius*; & hæc in *regnum*, & *tyrannidem* distribuitur; altera est *paucorum*; atque hæc distinguitur in *optimatum*, & *paucorum potentiam*; *multorum* est tertia, quæ in *populi dominatum*, & *turbæ gubernationem* diuiditur: vtrum hæ per se singulæ sint optimæ; an multo illa melior administrandi ratio, quæ omnes simul bonas complexus sit, vt olim Respubl. Lacedæmoniorum, in qua Rex, Ephori, & Senatus exstiterunt, cuius quidem præclaram, & eximiam speciem in hac florentissima Veneta Republica licet intueri. *Ciuilem* disciplinam, quanti referat, legatum nostrum, multis, magnisq; de causis, percepisse; paulo ante ostendimus. Hoc autem loco iuris ciuilis cognitionem eidem legato ita necessariam esse demonstrabimus, vt si sit eius expers, perfectus haberi, aut nominari nullo modo possit. Maxime

xime igitur est ius ciuile legato perdiscendum, ac cognoscédæ leges, quæ sunt firmissima ciuitatum fundamenta, & ad ciuium salutem, vitamq; hominum & quietam, & beatam conditæ sunt: iis enim sublatis, non modo ciuitas, aut gens vlla, sed ne domus quidem minime stare posse videretur. Lex autem ipsa est quasi quædam bene viuendi norma, atque præscriptio, & est emendatrix vitiorum, commendatrixq; virtutum. Itaq; legibus & amplissima virtutibus præmia, & maxima vitiis supplicia sunt proposita; vnde viros bonos, iisdem legibus, fieri, veteres, sapientissimi viri existimarunt; ac propterea iuuenes e scholis egressos, à magistratibus leges, iuraque discere voluere, vt bene, honesteq; viuere perpetuo cogerentur. apud Romanos vero iuris ciuilis scientia summo in honore semper fuit, ac prisci illi viri tanti leges cœperunt æstimare, vt XII Tabularum libros inter sacra à Pontificibus iuberent asseruari; quos postea Cn. Flauius efferre in album voluit, potestas vt esset populo illarum cognoscendarum. Sed alia fuit doctrina ciuilis, Decemuirum tempore, quos quidem constat fuisse XII Tabularum auctores; alia vero Galli Aquilii, Scæuolarum, Sulpicii; alia demum Cæsarum ætatibus; quibus sane temporib⁹. quamplurima sunt ab ipsis immutata. Nullum autem fuit in Romano-

tum imperio, ex omni memoria, tempus, quin iuris ciuilis studium nobilissimũ, atque vtilissimum haberetur; sibi, vt iurisconsulti domus *totius oraculũ ciuitatis* appellaretur. Apud ceteras vero gentes, leges omnes, quibus prudentissimi illi viri, quos celebrauit antiquitas, suas ciuitates temperarunt, tantum habuerunt auctoritatis, vt illæ humano generi, per legislatores, Mosen, Lycurgum, Solonem, Zaleucum, Charondam, Pompilium, ceterosq; diuino instinctu, afflatuque admonitos, datæ diuinitus dicerentur, summisque in bonis ponerentur. quod eloquẽtissimus orator Demosthenes his verbis expressit: πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν, καὶ δῶρον Θεῶν. quapropter qui perfectam Remp. instituerunt, eam potissimum optimis, & saluberrimis legibus ornarunt. Plato in sua illa Rep. cuius imago in cælo est, duas præcipue artes florere voluit; nempe rei militaris præstantia; & iuris ciuilis cognitio. In Romana vero Rep. res militaris, facultas dicendi, & ius ciuile maxime excelluerunt. quã igitur præclaram, & perutilem artem tot clarissimi, ac sapientissimi homines semper dignã statuerunt, in qua nobilibus in primis viris esset elaborandum, legatus noster contemnet, atque reiiciet? is qui ad Remp. gerendam; ad humanarum rerum procurationem, ad maximorum Regum intima consilia; ad

ciuita-

ciuitatum administrationem debeat vocari? Nemo quidem certe, meo iudicio, hoc tam graui dignus nomine erit vnquam, nisi iuris ciuilis intelligẽtia prę̃stabit. ecquæ enim res est, ecquæ controuersia, siue illa de magna, siue de parua re sit, de qua egregie non differat, quam recte non diiudicet iuris peritus? quærendum est cuius sit iuris Angliæ regnum. quis hoc, nisi iurisconsultus iudicabit? quemadmodum item, vtrum rite sit indictum concilium; vtrum recte Tridento Bononiam translatum; quis consulẽdus, nisi is, qui iuris disciplina ciuilis peritissimus esse videatur? Si vero huius erit expers doctrinæ legatus, ne verbum quidem de rebus huiusmodi, in conuẽtu prudentissimorum hominum audebit facere; quia depromenda erit oratio ex iure ciuili; ac si eiusdẽ forte sententiam, aut iudicium exquiret aliquis, is se nescire his de rebus iudicium facere, cogetur respondere. quo nihil turpius tam graui personæ. quid? Oriri sæpenumero solet ciuilis inter principes controuersia, vel de finibus regendis, vel alia quacunque de re, cuius quidem est legato suscipienda defensio; quo autem pacto præstare id cõmode poterit, sine iuris ciuilis scientia? in qua fons est iustitię, æquitatis, ciuilium negotiorum; à quo præcepta legato sunt haurienda rerum gerendarum, & omniũ negotiorum

agendorum, siue de pace, siue de bello; in quibus de iure aliquando disceptandum est; id est, vtrum iustum bellum geratur; vtrum sit iusta pacis conditio; vel vtrum iure ciuitas, ager, portus, fluuius ab aliquo principe possideatur. His ego de causis, dixeram ei, qui perfectus legatus esse vellet, iuris ciuilis doctrinam esse necessariam, à cuius studio minime debet abhorrere, quòd id multis fortasse videatur esse magnum, & laboriosum, ac sine vlla animi delectatione, à quib' ego hominibus valde soleo dissentire. nam ita ius ciuile, quod erat antea sane diffusum, ac dissipatum, nunc habemus ordine dispositum, & in certa genera coactum, in Pandectis, nihil vt fere sit negotii, illud percipere, atque cognoscere. deinde miram quandam, in legibus iis perlegendis, voluptatem mihi videor capere, in quibus quædam cernitur antiquitatis effigies, quam & verborum prisca vetustas facile declarat. Sed quãuis magna, ac difficilis esset ista cognitio, tamen vtilitatis magnitudine, sine dubio, deberet vnusquisque ad suscipiendum laborem excitari. magna enim laus est, hominẽ in id studium incumbere, quod sit multis profuturum. Idcirco ius ciuile legatus noster vehementer amplectatur; neque grauetur libros euoluere, in quibus ipsa iuris doctrina contineatur; quæ quidem in Iustiniani Imperatoris

toris libris est certa quadam ratione, tradita, atque eleganter litteris mandata, sic, vt nullius artis cognitio facilior videatur. est enim hæc ars magna potius, atq; vber, quàm difficilis, aut obscura. In Pontificio quoque iure, legatum oportet non mediocriter esse versatum, cuius initium ductum est à sanctissimis viris, qui sancti Spiritus numine inflammati, omnia facere diuinitus consueuerunt. Ac publica etiam iura, quæ sunt cuiusque propria ciuitatis, atque imperii, legato nota esse debent. Sed hæc quidẽ hactenus. Venio nunc ad eum locum, quo de *eloquentia* dicendum est, qui totus pertinet ad legatum. nam, cum illum in primis statuissemus in omni genere sermonis esse perfectum, cõsequens erat, vt in eodem desideraremus summam eloquentiam, qua nihil hominum generi ab immortali Deo tributũ esse præstantius, inter omnes constat. Ac quoniam nulla videbatur esse posse dicendi facultas, & copia, sine omni quidem doctrina, ac sapiẽtia, antequam hic locus tractaretur à nobis, legatum ipsum instruximus doctrinis omnib9. merito igitur nunc ille nobis est ornandus eloquentia; quæ sane ars in pacatis, atque tranquillis ciuitatibus primas semper tenuit, ac potuit locare homines in amplissimo gradu dignitatis. nam iis omnibus, qui facultate dicendi excelluerunt, amplissima

ſunt, ex omni memoria, præmia conſtituta. atque Athenis primum, deinde Romæ, quæ quidem præclaræ quondam ciuitates oratores prope perfectos tulerant, diſertiſſimo cuique ad gratiam, ad opes, ad ſummos honores; ad immortalem gloriam patuit ſemper aditus. id quod ex vtriuſque ciuitatis ſummis oratoribus perſpici facile poteſt; quos ſane diuinos homines in dicendo, domina rerum eloquendi vis æternitati cõmendauit. nihil enim apud veteres tanti ullo vnquam tempore æſtimatum eſſe accepimus, quanti ipſam eloquentiam, nec iniuria. Quid enim eſt præclarius, quàm poſſe de rebus omnibus varie, eleganter, & copioſe dicere; hominum mentes allicere; atque eorum voluntates non modo quò eloquentiſſimus quiſque velit, impellere; ſed etiam vnde velit deducere? quid porro laudabili⁹, quam rem augere poſſe, atque ornare laudando; & eandem rurſus affligere vituperãdo? quid deniq; admirabilius, quàm res obſcuras ſplendore illuſtrare verborum; horrida, & inculta oratione excolere? Itaq; egregie eſt eloquentia à grauiſſimo illo auctore Euripide, cuius ſingulos verſus ſingula eius teſtimonia M. Tullius exiſtimauit, hominũ Regina his verbis appellata:

Πειθὼ ἣ τὴν τύραννον ἀνθρώποις.

quid autem aliud ſignificare antiqui poëtæ volue-

voluerunt, cum dicerent, disertos olim viros cantu lapides mouisse; horribiles immanium bestiarum impetus repressisse; ac perennium fluminum cursus retardasse, nisi dominatam esse in terris eloquentiã. Hanc igitur legatus noster vehementer amplectatur oportet, sic, vt excellat, & in numero sũmorum oratorum habeatur. Orator autem summus in primis debet esse legatus, vt conciliare sibi principes; & eorũ animos ad quẽcunque, res, de qua agendum erit, motum postulabit, vocare queat; vt plurimas gratias, firmissimas amicitias, per facultatem dicendi, ac maxima sæpe studia clarissimorum hominum sibi possit comparare; vt dicere demum valeat ad animos audientium permouendos, & ad persuadendum accommodate, quod est proprium oratoris officium. Sed mitto oratorem; legatum enim hoc loco quærimus, quem tamen volumus eloquentiæ laude præstare. nam quo pacto erit in laudando grauis; in vituperando acerbus; in sententiis argutus, in differendo subtilis; quo pacto vllo humanitatis officio apte, & decore fungetur, gratulandi, dolendi, gratias agendi, quæ omnia, quàm sint necessaria, facile communis vitæ consuetudo declarat, si deerit illi omnis prorsus orationis, vel copiosæ, vel elegãtis ornat⁹? si deerit oratio sapientiss. sententiis, grauissimisq; verbis

perpolita? quæ ex rerum cognitione plane redundet necesse est: rerum enim copiã verborum copiam gignere exploratum habemus. Idcirco optimum Plato existimauit oratorem eum, qui multiplicem esset doctrinam, atque scientiam consecutus, vt quacunq; de re posset ornatissime, & copiosissime dicere. Sit igitur legatus noster in omni disciplinarum genere præstãtissimus, vt esse item possit longe omnium in dicendo grauissimus, & eloquentissimus: atque exprimere sensa dicendo valeat ex tempore multo vberius, & ornatius, quàm alii; sic, vt nulla sit meditationis suspicio, & imparat⁹ semper aggredi ad dicendum videatur, & quocunq; voluerit hominum mentem, animũque impellat, ac principes viros, si quando erunt aut ira, aut aliqua perturbatione incitati, iucũdissimo sermone permulceat. Magnam enim vim semper habuisse orationem perspicuum est. quod quidem Cyneas Demosthenis auditor, & Pyrrhi Regis legatus, qui multum dicendi laude processerat, optime declarauit, cuius hominis summam eloquentiam diuinis laudibus extulit Pyrrhus, cum dicere soleret, *plures à Cynea oratione, quam a se, armis, vrbes esse partas.* neque vero tantum Vlyssi, ac Nestori, laudis tribuisset in dicendo, omnium poetarum præstantissim⁹ Homerus, nisi magna iam tũ vis fuisset elo-
quentiæ,

quentiæ, ac de ipso quidem Nestore sic est locutus:

-- τοῖσι δ' Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς πυλίων ἀγορητὴς,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν
αὐδή.

Sed cũ hæc legati nostri propria laus esse videatur, elaborandum est illi etiam, atque etiã, vt quo vno maxime bestiis homo præstat, in hoc ille hominibus ipsis antecellat. Quid de M. Valerii legati eloquentia clarissimis monumentis est testatum? nonne illum, memoriæ proditũ est, paucis post Reges exactos, annis, cum montem sacrum plebs occupauisset, discordias sedasse dicendo, eique, ob eam rem, amplissimos honores esse habitos? Quid de eloquentia legatorum, qui ex tota Græcia ad laudandum Flaccum Romam venerant? nonne hos legimus disertissimos homines mirifice à Romanis esse laudatos? Contra, contemptos esse accepimus, atque irrisos à Cleomene Samiorum legatos, quòd eorum oratio nullum eloquentiæ florem, nullum prorsus lumen haberet. Item legatos Atheniensium de pace ad Syllam missos, ab eo esse delusos, quòd cum longam habuissent orationem, ne verbum quidem fecissent ea de re, de qua potissimum agendum erat, sed inanib⁹ tan-

cum verbis, & superuacaneis illi in dicendo obstrepuissent. Merito igitur nos hanc præcipuam eloquentiæ laudem legato nostro tribuere videmur, qua quidem, dubium nó est, quin aliquando clarissimus sit futurus; quia illi dedimus in primis multarum artium disciplinam, vnde mirabiliter possit augere, atque ornare quæ velit, omnesque rerum omnium, quæ ad dicendum pertinent, fontes animo, ac memoria continere. Ac dicendi quidem præcepta erunt illi e fontibus haurienda doctissimorum, & eloquentissimorum hominum, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Quinctiliani, & Hermogenis, qui artem Rhetoricam accuratissime conscripserunt. Sed optime omnium, meo iudicio, de omni doctrina, ac ratione dicendi, tribus libris scripsit Aristoteles; in quibus ego maxime admirari soleo ipsum Aristotelem, præsertim cum nemo fere vnquam antea inuentus sit, qui nobis hanc præclaram artem tam perfecte, distincte, & ex ordine tradiderit. is enim in primo libro tria explicauit genera causarum, & argumenta nobis ostendit, vnde ducere possimus rationes in vnoquoque causarum genere; in secundo omnes animi perturbationes, & mores hominum, quacunque ætate, ac fortuna sint, diligentissime pertractauit; in tertio vero, ornamenta orationis

omnia

omnia ita complexus eſt, vt tenuiſſima quæque ſit commodiſſime perſecutus. Quamobrem, ſi nos audiet legatus noſter, vnum Ariſtotelem, & in cæteris doctrinis, & in ipſa arte Rhetorica, tanta auctoritate, ducem, ſine dubio, ſequetur, præterea neminem. Dixi paulo ante, legatum oportere eloquentiæ laudẹ præſtare, quæ quidem eius omnino propria videtur eſſe. ac quoniam omnis eloquentiæ vis, & magnitudo in orationibus, atque in ſcriptis elucet maxime, quæ in exiſtimantium arbitrium venire aliquando debeant, caput erit, ad hanc præclaram laudem adipiſcendam, quám plurimum ſcribere. Itaque legato noſtro formanda erit oratio, cum exercitatione, tum ſtylo, qui eſt optimus dicendi effector, & magiſter. Quid enim tantum proficit ad dicendum, quantum ſcriptio? Ad ſcribendum vero ſi Latina illi forte contigerit vti lingua, in hoc maxime elaborandum eſt, vt pure, & emendate ſcribat. idcirco in eo ſit oportet incorrupta quædam Latini ſermonis integritas, ac iudicium tam in verbis eligendis, & collocandis, & compræhenſione deuinciendis; quàm in ſententiarum ornamentis, & conformationibus, ſic, vt eiuſdem & limatum, & elegans habeatur orationis genus, & veterem eloquentiam redolere

videatur. &, quia posse Latine egregie scribere erit sibi commune cum paucis, magnú sine dubio, ex hoc scribendi genere, gloriæ fructum capiet, ad memoriam sui nominis sempiternam. Latine autem, plane, dilucide, & ornate scribet, si Ciceronis in primis, deinde Sallustii, Plauti, Terentii, Cæsaris, qui Latinam linguam ad summam elegantiam expoliuerunt, libros lectitarit, barbaros autem scriptores penitus contempserit, atq; irriserit, quorum scriptis nihil legenti potest accidere iniucundius. Præterea verò M. Tullii præcipue libris perlegendis, orationem efficiet numerosam, grauem, concinnam, suauem, atque admirabilem. nam in oratione modos, & numeros quosdam oportere seruari, veteres dicendi magistri affirmarunt. Quod sensus etiam ipse facile declarat: indicant enim aures nostræ, quarum vnum est, & simplex iudicium communiter omnibus à natura datum, quid sit nimis in oratione contractum, quid redundans, quid asperum, quid leue: ac quemadmodum iis, quæ praua sunt, offenduntur aures, sic etiam rectis eædem delectantur. Horum inuentores numerorum fuisse accepimus duos, alterum Thrasymachum Chalcedonium, alterum Leontinum Gorgiam, qui nimis fortasse anxie numerosa sunt vsi oratione: sed Cicero multo modestius; nō enim oportet

tet ita scribere, vt poetice potius, quám oratorie scribere videamur. Numeros igitur in oratione seruare debet legatus noster, ita tamen, vt in claudendis potissimum sententiis, versum effugiat, in quem facile incidunt errorem qui temere, ac nulla ratione scribunt. Sed hac numerorum suauitate carere prorsus Italica videtur lingua, qua, si legatus vti voluerit ad scribendum, nobili in primis Hetrusco sermone, id est, eo, quo Boccacius est locutus, cogitationes exprimat suas; non tamen, vt ille omnib⁹ verbis: sunt enim quędam in eius libris verba insuauia, quæ ego, dedita opera, fugienda esse opinor. Delectus est igitur quidam habendus verborum, atq; ea tantum efferenda, quæ nemo iure unquam repræhendat. Itaque quacunque legatus noster vti voluerit lingua, verbis in primis electis eloqui, aut scribere semper studeat: quod vt facere commodius possit, multum operæ, studiiq; ponendum est in linguis percipiendis. teneat autem primum perfectę Italicam, Latinam, atque Græcam necesse est. Etenim si qui vnquam aliqua loquendi laude floruerunt, ii profecto aut Græci, aut Latini fuerunt: Græcis vero litteris, atque Latinis, antiquorum monumenta consignata sunt omnia; atque hinc factū est, vt sine his linguis disciplinas consequi minime valeamus; quæ quidem ex o-

mni memoria, nobilissimæ habitæ sunt. Ac Græcas in primis litteras tandiu in pretio, summoq; in honore fuisse cōstat, quandiu dominata est cuncta Græcia. Amisso autem imperio, litteræ etiā ipsæ statim exaruerunt: ex quibus quod hoc tempore reliquū est, id videtur in libris superesse diuinitus. Latinæ vero linguę ratio fuit eadem. nam in vrbe Roma Latini sermonis elegantia, quæ cum libertate floruerat, radicitus cū seruitute sublata est. Cum enim omnes olim vulgò non modo Romæ, sed in tota etiam Italia Latine loquerētur, Romano iam labēte imperio, atq; ipsa Italia Barbarorū oppressa impetu, omnis illa vis, & quasi flamma veteris Latini sermonis extincta est; ac noua hæc, quam *vulgarem* vocamus, lingua, quæ exiguis tantum Italiæ finibus terminatur, subito est exorta. Sed quoniam perspicuum est, eos, qui rerum agendarum versantur in studio, haud quaquā posse vna, aut duabus linguis esse contētos, legato nostro omni opera, ac studio enitendū esse putamus, multas vt externas linguas addiscat. Etenim, quemadmodum apud antiquos nō eodem modo locuti sūt Arabes, Indi, Ægyptii, Græci, atq; Latini, sic non eodem modo loquuntur hoc tempore Itali, Galli, Hispani, atq; Germani. Est igitur in primis legato necessaria cognitio Italicę linguæ, deinde Latinæ, quæ apud

omnes

omnes prope gentes intelligitur, vt è Hispanę, Gallicę, Germanę ac postremo etiã Turcicæ. Has si nouerit linguas legatus noster, quæ magnos illi afferent vsus vbi terrarum, atque vbi erit gentium, ad omnes res tractãdas, quæ accidunt in hac communi, quotidianaq́; vita; non est dubium, quin suo Principi, & sibi quoque ipsi, multis magnisq́; in rebus, prodesse plurimum possit.

De his satis fere diximus: reliquũ autem erat, vt ostenderemus, legato nostro nõ inutilem futurã poesim, necessariam historiam, geographiam, ac rei militaris disciplinam. Legendi sunt quidem in primis poetæ, quorum genus antiquissimum è doctis fuisse apud Græcos, memoriæ proditũ est. etenim poetarum originem vetustissimi quidam scriptores referunt ad Mosen. Præterea vero multos ante Homerum fuisse poetas accepimus, Linum, Orpheum, & alios, qui non sine diuino aliquo afflatu, optimarum artium principes, & inuentores extiterunt. Quare merito *sanctos* Ennius, & *diuinos* Plato appellat poetas, quòd quasi Deorum munere commendati nobis esse videantur. Debet igitur legatus antiquorũ poetarũ libros peruolitare, ad quos legendos iucunditate quadam sine dubio inuitabitur, quia illi res hominum gestas, mores ciuitatum, variarum gentium naturas,

ornatiſſimis, atque optimis verſibus exprimunt ſuis, ex quibus fructum etiam capiet incredibilem, ad inſtitutionem vitæ communis. nam poetarum in libris, & effictos noſtros mores, & expreſsã vitæ noſtræ quaſi quandam imaginem intuemur; item, quæ ſint officia non modo priuatorum hominũ, ſed etiam Principum, Regumq; facile perſpicere poſſumus. Itaque poetas ſæpenumero legat, & Græcos & Latinos noſter legatus. ac quoniam Græcorum poetarum optimos, Homerum, Heſiodum, ac Pindarum iudicauit Plato, horum præcipue libros euoluat: Homerum autem præter cæteros, in manibus ſemper habeat: nam grauiſſimi huius auctoris libri ſunt ciuilibus negotiis, heroicisq; virtutibus referti; ac multa porro ſunt ab eo conſcripta, quæ ad bellum, quæ ad Remp. gerendam; quæ ad ſummorum munera principum; quæ ad conſuetudines bonorum, & malorum ſpectare videantur. Idcirco iure Magnus Alexander Homeri poeſim omni loco, & omni tempore, apud ſe voluit habere. Intelligebat enim, ſe ab Homero, ad omne virtutis genus inſtitui, & ad omne præſtantiſſimi Regis officium inſtitui optime poſſe. Sed iam ad reliqua pergamus, & inſtitutum ordinẽ perſequamur. Cognoſcenda eſt etiam legato *hiſtoria*, quæ quidem nihil eſt aliud, niſi vera rerum geſtarum

rum narratio, ac memoriæ veteris ordo. Historiæ autem, antiquitatisq; perfectam cognitionem ita statuimus ad legatum pertinere, vt sine ea, tam grauem vnquam personam sustinere quenquam negemus posse. etenim necessariam putamus esse in primis veterum temporum notitiam iis omnibus, qui vel in Reip. administratione, vel in rebus gerendis aliquando debeant versari, quibus nota esse debent, non modo vetustatis exempla, sed etiam quæ sua, patrumque memoria, singulis annis, acciderint in toto orbe terrarum: ac maxime quidem historia pertinet ad Reges, summosq; principes: qui cum sint eius prorsus expertes, nihil plane scire, nihil ex iis, quæ ad vsum vitæ, & ad res magnas in imperiis gerendas attinent, intelligere possunt. Semper enim videntur esse pueri qui nesciunt ea, quæ, antequam nati sint, acciderint apud omnes gentes. Merito igitur Græcos carpit Ægyptius ille sacerdos apud Platonem, eosq; semper pueros vocat, quòd nihil gestarum rerum, nihil antiquorum temporum cognitum, atq; animo compræhensum haberent. Itaque legatus memoriam teneat oportet omnis antiquitatis, vnde hauriet in primis, tãquàm à fonte, prudentiam; hauriet scientiam maximarum, & pulcerrimarum rerum, hauriet demum præclara quædam in omni genere vir-

tutis exempla, quæ plurimum solent & au-ctoritatis habere ad probandum, & iucun-ditatis ad audiendum. Exempla vero præci-pue haurire ex historiarum fonte poterit, continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei, ac for-titudinis, quibus quasi ardentibus facibus, ad omnem virtutem, & ad omnem laudem, incredibili quodã glorię studio, atq; immor-talitatis amore, inflammabitur. Præterea ve-ro cognoscet ex historiis bellicosissimarum gentium, potentissimorum Regum, ac for-tissimorum virorum gloriosa facta, intelli-get originem, & principia maximorum re-gnorum. Ac quibus de causis tot in imperiis Assyriorũ, Persarum, Græcorũ, ac denique Romanorum commutationes, tot Rerũpu-blicarum conuersiones acciderint, cur Ro-mana Resp. terrarum omnium domina to-ties afflicta fuerit, toties recreata, quæ demũ causæ sint Rerumpublicarum salutis, atque interitus. Notabit item consilia, acta, euen-tus varios, vnde ille & consiliũ de futuris re-bus quę ex præteritarũ similitudine gerun-tur, certum dare, & agere similia negotia multo commodius poterit, atq; prudẽtius, sic, vt dubitandum illi minus sit, se posse & in dandis consiliis, & in agendis publicis ne-gotiis, & in dicenda sententia, siue de bello, siue de pace, falli, errare, ac decipi. quod si-ne dubio minime vnquam præstabit qui ex annali-

annalium vetuſtate ea, quæ a me dicta ſunt, non eruerit. Legatus vero noſter non modo memoriam colligere debet antiquitatis, ſed legere etiam hiſtorias ſuorum temporū. Quis enim optime vnquam conſulet ſuo principi, ſi & principis eiuſdem, & ceterorum leges, mores, inſtituta, bella, paces, fœdera, opes, vectigalia, pedeſtrem, naualemq́ue apparatum ignorauerit? quæ omnia ex hiſtoriarum lectione cognoſcere facile poterit: quapropter non ſine cauſa paulo ante dictum eſt à nobis, hiſtorias ad Reges, & principes potiſſimum ſpectare. In hiſtoriis enim notandæ ſunt illis res præclare geſtæ, & obſeruandi mores bonorum Principum, atque etiam tyrannorum, propter quos illi feliciſſime, ac diutiſſime fuerunt in imperiis; hi, breuiſſimo temporis ſpatio regnis pulſi, ac trucidati ſunt. Itaq; egregie Thucydides, quē ferūt rei militaris diſciplina præſtitiſſe, hiſtoriam ſcripſit eſſe theſaurum regium. hunc igitur, quem modo nominaui Thucydidem, ſincerum geſtarum rerum pronunciatorem, qui miro quodam ordine ſcripſit hiſtoriam, atque etiam Herodotum, Herodianum, Polybium, Dionyſium Halicarnaſſeum, Liuium, Appianū, Salluſtium, Iuſtinū legat noſter legat⁹, quorum hiſtoriæ omnē prorſus continēt veterē memoriam. Res vero noſtrorū temporum

gestæ cognoscédæ sunt illi ex historiis multorum doctissimorum hominum, qui res omnes singulorum annorum diligentissime mandarunt litteris. Sed quo ordine sint legendæ historiæ, quæ in iis præcipue notanda, ac quæ potissimum colligenda, alius erit fortasse dicendi locus. Nunc ad *Geographiam*, vt est propositum, me cõuertam, cuius cognitio est vtilis in primis legato, cũ ad multas alias res, tum ad historiam maxime, cum sæpe in historiis regiones, prouinciæ, ciuitates, montes, & fluuii describãtur, quarum rerum notitia ad ipsam pertinet Geographiam; quam si legatus percipiet, terræ situm, formam, locorum intervalla, sine dubio, cognoscet, & campos, ac montes, agros, & nemora, hieme, & æstate, domi manens, poterit quodammodo peragrare. quod plurimum habet in se & iucunditatis, & vtilitatis. ac turpe quidem est homini gerendarum rerum vsu prædito nescire vbi terrarum sit quæque ciuitas, aut quodlibet oppidum. Idcirco Ptolemæum perlegat Alexandrinum hominem, eiusq; Tabulas diligenter inspiciat, & legat etiam Plinium, Solinum, atque alios, qui de situ orbis egregie conscripserunt; in quibus tamen maxima sępe regionum, prouinciarum, populorum, fluminumq; & insularum varietas est. Sed nos Ptolemæum in primis in Geographia consu-

consulendum esse arbitramur. Reliquum erat, vt ostenderemus, in legato inesse oportere scientiam rei militaris. nam ex iis artibus, quæ liberales appellantur, hanc vnam in primis excellere, ex omni memoria, clarissimorum hominum consensu, iudicatum est. Atq; in Græcia primum, quæ Persarum sæpissime copias profligauit, multi belli gerendi scientia excelluerunt. Romana vero gente quæ fuit vnquam gens bellica laude præstantior? indicant hoc præclara quæ in historiis continentur, & gloriosa facta tot Græcorum Imperatorum; atque id etiam declarant tot belli duces Romani præstantissimi, Catones, Æmiliani, Syllę, Luculli, Cæsares, ceteriq; fortissimi viri, qui semper rei militaris præstantiam cum doctrinarum studiis coniunxere. Nos igitur quem his in libris quærimus, & instruimus legatum, iure volumus esse peritum rei militaris. hanc vero disciplinam accipiat ex veterum præceptis, & variarum gentium historiis. Cognoscat autem primum qualis olim ea fuerit, quam quidem deinde conferat cum disciplina militari nostrorum temporum. Ac quoniam omnia, quæ sunt in imperiis, ab iis defendi, & firmari putantur, qui militari virtute præstant, ea prorsus legato nostro sunt cognoscenda, quæ pertinent ad hanc præclaram scientiam, sine qua consultare de

bello, de exercitu, de castris, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis, atq; vitandis, quæ sunt imperatoris propriæ laudes, minime vnquam poterit. Est igitur ipsa Imperatoris ars, & scientia legato quodam modo necessaria, qua quidé nulla, meo iudicio, est, quæ maiorem desideret vim ingenii atq; consilii. Cognoscere auté noster legatus debet locorum, montiũ, fluminum, vallium naturas, vrbium situs, multiplicia oppugnationum, ac defensionum genera: item loca idonea ad castra ponéda, ad aciem instruendam, ad manum conserendá, atque omnia prorsus intelligere, quę ad rei bellicæ rationem spectant. Hæc auté maxime nota legato debent esse; id est, quot sint genera militiæ, in quo nostri duces exercitus, in ordinanda acie, videantur esse dissimiles antiquorum, vtrum pedestres copiæ sint magis æstimandæ, quàm equestres, vtrũ exercitui vniuerso sit præponédus vnus, an multi; quæ res sint maxime in bello necessarię; quomodo præsidiis, turribus, arcib⁹, vallo, fossa, aut aggere recte muniri ciuitas possit; quid requiratur in summo, atq; perfecto Imperatore; quod denique sit optimi, ac præstantissimi Imperatoris officiũ. quę fere omnia, cum ex multis aliis grauissimis auctoribus, tum maxime ex Xenophonte, in eo libro, qui περὶ

παιδείας Κύρου, inſcribitur, facile eliciet. harũ vero præcipue rerum ſi quis legatus erit animo,& ſcientia cõpos,is & multis in rebus, magno ſuo principi poterit eſſe vſui, & perfectus legatus merito nominabitur. Sed de artib⁹,ac doctrinis,quib⁹ ipſe legatus noſter debeat eſſe inſtructus,ſatis dictum eſt.

QVIBVS PRÆCIPVE VIRTVTIBVS, ATQVE ORNAMENTIS legatum oporteat eſſe præditum, Cap. II.

POSTEAQVAM hactenus demõſtrauimus, legato noſtro onerandum eſſe, complendumq́; pectus omnib⁹ liberalibus artibus, optimisq́; diſciplinis, ſine quibus non poſſe effici, quem quærimus, admirandum legatum dicebamus; reliquum eſt, vt hoc loco declaretur,à nobis, eundem omni prorſus virtute,& humanitate; omnibusq́; rebus ornatum; immo vero in omni virtute principem eſſe debere. quod ſi hoc tẽpore præſtare me poſſe confiderem; vt eum ſcilicet hominem informarem,atq; exprimerẽ dicendo, cuius perfectũ ſimulacrum,atq;eximiã formã animo compræhenſam habeo, me ſine dubio perbeatum putarem. Vtinã id mihi ſaltẽ fortuna elargiatur,vt in ſummo legato fingẽdo,

excellentis huius personæ speciem adumbrare aliquo modo queam; & magnũ quiddam me consecutũ esse præ me feram, præsertim cum difficillimum sit in omni re formam exponere optimi; cumq; ipsas rerum formas, quas Plato appellat *Ideas*, nisi mentis oculis cernere possit nemo. Magnum opus, & arduum, vt sæpe iam diximus, in manibus habemus. non assequimur. at si non perfectio, conatus erit tamen, atque adumbratio. Sed iam illius perfecti legati, quo nihil possit esse præstantius, speciem, quoquo modo possumus, exprimamus. Sit igitur nobis legatus, quem summum esse volum⁹, & vitæ splendore, & omni genere virtutis, officii, humanitatis, admirabilis, sic, vt prorsus florens ornamentis omnibus, clamores vndiq; faciat. Summam vero in primis hominum admirationem excitabit, si id assequetur in omni vita, vt appetitus scilicet rationi pareat, quod est maxime ad officia cõseruanda accommodatum; si quid omni loco, ac tempore deceat, dedeceatque, quo nihil est difficilius, videbit; si decus omne virtutis, & probitatis cum doctrinarum omnium laude iunxerit; si nihil ei deerit, quod ad naturam eximiam, & illustrem, ad singularé industriam, ad acerrimum ingenium, ad omne genus officii pertinere videatur; si omnia consilia, cogitata, dicta, facta ad virtu-

tem

tem conformabit; omniaq́; referet ad dignitatem, & ad gloriam; si nihil in vita non egregium, non excellsum, aut illustre, aut cogitarit, aut fecerit; si denique externis etiam commodis, ac bonis abundabit; fortunæq́; muneribus amplissimis ornatus erit. Effudi summatim omnia, quæ requiri in summo, atque perfecto legato, qui nobis est in his libris exprimendus, intelligebam; nunc autẽ de singulis, quantum in me erit, verba faciam copiosius. Ac primum exploratum habere debet legatus noster, caput esse ad beate viuendũ, appetitum rationi obtemperare. eum igitur tamquam seruum, dominæ, & reginæ rationi obedientem studeat præbere; sic enim domitas habere libidines poterit; sic coercere omnes cupiditates, à quibus sit remotissimus; sic, restinctis animorũ incendiis, semet ipsum optime regere, iucundissimeque viuere. quòd si regendi, ac moderandi sui, ratione iubente, & appetitu obtemperante, diligenter modum tenebit ipse legatus; non est dubium, quin ad summi imperii, & rerumpublicarum, & ciuitatum gubernacula possit accedere. etenim quædam est homini cum omni genere administrationis similitudo. ea vero est huiusmodi, Rationem pro Rege; habitus, id est, virtutes, vt ita dicam, morales, pro optimatibus; perturbationes animi pro administratione po-

pulari: itē appetitū pro tyranuo; sensus autē pro paucorū dominatu sapientissimi viri acceperūt. Cum autem duabus primis postremæ species ita temperantur, vt inter se consentiant, atq; illis hę pareant libenter, perfectam Remp. nominauere. Legatus igitur, quem quærimus, & semetipsum optime reget & nunquam aberrabit, si rationem sequetur ducem, quæ quidem docet, quid faciendum, fugiendumve sit, vnde elucebit omnis constantia, omnisq; moderatio vitæ. Prętera vero in legato, quasi lumē aliquod, maxime eluceat oportet id, quod Græce, τὸ πρέπον, Latine autem decorum dicitur, quod quidem ab honesto seiungi minime videtur posse. quod enim decet, honestum esse, & quod honestum est, decere arbitramur. decorum igitur est omne cum honestate, id est, cum virtute confusum. honestatem autem, & decus sine dubio conseruabit legatus, si iis rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam, & ordinem adhibebit; si quid deceat in factis, dictisque considerabit; si denique cognoscet, maxime decoram esse vitæ vniuersæ, & singularum actionum æquabilitatem. nam ordo quidam, & constantia, ac moderatio dictorum omnium, atq; factorum, decorum totum illud quidem est, & maximè hominis excellentiæ consentaneum. necesse est enim, vt hominū

in vita ſint omnia apta inter ſe, & conuenientia, propterea quòd turpis eſt omnino, & vitioſa actionum noſtrarum diſcrepātia. Ac quemadmodum in fidibus, & tibiis, diſcrepātem ſonum, aut immutatum animaduertere ſolēt muſici; ſic in vita, ſi quid fortè discrepat, id acres vitiorum animaduerſores reprehendunt. Sed iā ad virtutes ipſas, quibus legatum volumus eſſe præditum, veniamus. De his autem antequam verba facere incipiamus, vnum illud in primis dicendum videtur, quod legato, præter ceteros, debet eſſe præcipuum. In hac igitur tā graui, atque inſigni, quam exprimere conamur, perſona, ſummam probitatem; ſummam integritatem, & innocentiam potiſſimum deſideramus, ſine qua merito legatum nominari quenquam negamus poſſe. Scire autem debet primum, pietatem erga Deū fundamentū eſſe omnium virtutum, ac ſine ea nullam veram vnquam eſſe virtutem, nec vllā etiam veram laudem. deinde Chriſtiana religione, qua quidem ſalus humani generis continetur, nihil eſſe ſanctius, nihil nobis ſalutarius. Eam verò tantum ſanctiſſime colat, eamq; tueatur omni tēpore, & ita tueatur, vt mortem ipſam oppetere, eiuſdem cauſa, non dubitet; pie, & chriſtiane viuat, ſic vt offēdat ſciens neminem; det operam diuinis rebus, ac Deū ipsū trinū, atq; vnū ſemper integra,

&incorrupta mente veneretur. Ac quoniam diximus in legato singularem inprimis integritatem requiri, vigilandum est ei, vt in hoc genere laudis prẹstet, ac multis, magnisque in rebus summam vt ẹius fidem, & integritatem spectatam, & cognitam habeant homines. qua in rẹ optimos, & clarissimos viros imitetur, quorum incredibilis probitas, atque constantia maximis in rebus, tot grauissimis antiquorum est testata monumentis. ac de C. quidem Fabricio egregio ciue, atque homine nobili quid loquuntur historiæ? nonne illum magnam vim auri, atque argenti, quam eidem dare volebat Pyrrhus, repudiasse accepimus? præclarum sane continentiæ, & integritatis exemplum. Sit igitur in primis vir bonus, atque integer legatus noster. Prima enim laus bonitatis ẹst: is autem maximam & virtutis, & probitatis opinionem adipiscetur; si, quod caput est in omni procuratione negotii, auaritiæ suspicio tollatur. Itaque auaritiam ipsam coerceat, cupiditates omnes frangat, & ceteras animi labes ita repellat, vt sine macula prorsus videatur. Honesta quæ sunt, ea tantum expetat; nec illi vnquam rei alicuius probetur electio, nisi cum honestate cōiuncta sit. Ad id autē, quod laudabile est, referat semper omnia; sic, vt sibi maxime finem proponat ipsam laudem: hoc enim erit quidem honeste

honeste viuere, id est, cum virtute vitam degere, vnde præcipue manabit illa animi tranquillitas, atque felicitas, quam in legato desideramus; vt sit omni prorsus perturbatione vacans, nec turpiter vnquam aliquid faciat, aut delinquat in vita: quæ quidem sit integerrima; nulla maleuolentia suffusa; nullis assueta mendaciis; nulloq; erudita simulationis artificio. ab iis enim, qui & ficto sermone, & simulatione ipsa, quæ cum vanitate coniuncta est, vti sæpe soliti sunt, nihil fere sincerum, nihil simplex, nullumve fidele consilium expectatur. nos autem, qui legatum volumus in primis esse ingenuum, iustum, virum bonum, si versutus erit, fallax, aut malitiosus, eum legati nomen, & splendorem amisisse iudicabimus. Absit igitur à dolo malo, & improbitate & mendacio absit legatus, qui quidem optimè moratus, animo, ac vita constitutus, natusq; ad ipsum decus, caueat ne quid insidiose, ne quid fallaciter vnquam aut dicat, aut faciat. Hoc sanè postulat tam grauis persona, in quam nó cadit mentiri, sui maxime commodi, vel emolumenti causa. Possumus ne bonum illũ virum iudicare, qui vt honores, præmia, amplissima beneficia ab aliquo principe adipiscatur, fidem violet? Eam vero optimam, & spectatissimam esse volumus; ac legatum ipsum veritatis amicum, & ab omni fraude

penitus abhorrentem. nam si recta omnia, & honesta negligat, dūmodo dignitates, atq; potentiam consequatur, quò magis scientia, plurimarumque rerum cognitione præstiterit, eò etiam magis obesse poterit publicis rebus, nisi ad optimam naturam optima mens, & voluntas adiuncta videatur. Itaque cultor in primis veritatis, fraudis inimicus omnino sit. Diuina quædam res est veritas, vnde bona omnia proficiscuntur. mendacem vero hominem & periurum oderunt Dii, cui ne verum quidem nos credere consueuimus; eumque vt infimi generis hominem putamus: maximum enim argumentum est ignobilitatis periurium, & mendacium. & propter hanc causam auctor quidam Græcus plebeium hominem periurum facit. Omne quidem mendacium per se turpe, & vituperabile est; veritas autē honesta ac laudabilis. In mēdacio versatur arrogans, & dissimulator; ille tantū sibi sumens, quantum non habet; quod agnoscit, verbis extenuans; mendax vterq;, sed arrogans multo magis; perfectus autem vir, sui semper similis, nō honoris, aut commodi alicuius gratia, vllo vnquam tempore mētitur. Sed quanta innocentia, religione, fide esse debeat legatus noster, satis explicatū arbitramur: sequitur vt alia virtutum genera sūmatim persequamur, quæ spectāt ad hāc,
quam

quam nobis propoſuimus perſonam. Ac primum dicamus de Iuſtitia; quæ quidem in legato, præter ceteras, requiritur, & ita requiritur, vt, ſi abſit, legatus ſine dubio eſſe deſinat. Quid enim faciet cum fide, quid cum æquabilitate; aut quo pacto vir bon⁹ appellabitur, ſi ex hac vna virtute probi in primis homines & habentur, & nominantur? Iuſtus autem erit in primis, ſi legibus obtemperabit; ſi ſuum cuique tribuet; ſi nemini iniuriam inferat, ac cōmuni demū vtilitati ſeruiet. hæc ſunt firmiſſima Iuſtitiæ fundamenta, quibus ſublatis, tollitur omnium domina virtutum, & Regina Iuſtitia, ſine qua nihil laudabile eſt, nec regi vnquam ciuitas vlla poteſt. Perfecta virtus quidem, & abſoluta, quia non ex ſe tantum conſideratur, ſed etiam ex ea parte, quatenus ſolet aliorum commoda reſpicere. Ac qui virtutis huius præſtantiam ſunt conſecuti, impertiunt eam, communicantq; cum aliis. non enim ad ſuum commodum, ſed ad principis, aut Reip. aliorūve beneficium omnia conferunt; quod ſane difficile videtur eſſe, & propter hanc cauſam veriſſimum quoq; illud eſt, *Magiſtratus virum indicat.* itaque ex hoc animi habitu prope diuino ad res iuſtas agendas, ad fidē ſeruandam, ad amicos iuuandos ita propenſus ſit legatus noſter, vt nihil vnquam iniuſtum, aut turpe faciat.

Romanorum legati apud Antiochum Regem, quòd falsum crimen Annibali intulissent, iniusti habiti sunt. pars enim iustitiæ est, neminem lædere, nisi lacessitus iniuria. Sed præclare apud Persas legibus sancitum est, vt ciues ipsi ad iustitiæ cultum ab ineunte ætate instituerentur; necessariam enim esse iustitiam in primis animaduertebant iis, qui essent aliquando ad Reip. gubernacula accessuri. Nolo hoc loco esse multus in omnibus iustitiæ partibus persequendis, quia ad Prudentiam modo festinat oratio: quæ quidem virtus si in quacunque persona desideratur, maxime in legato debet, præter ceteros, elucere. Is igitur, qui publico ciuitatis nomine legetur, qui Reip. faciem, grauitatem Senatus, Imperii maiestatem secum afferat, tanto splendore, tantoque ornaméto nullo modo careat. Sed quoniam habitus quidam est animi prudentia ipsa, quo, ratione quadam, delectum habemus bonorũ, & malorum; vel est scientia potius exquisita earum rerum, quæ expetendæ, aut fugiendæ sunt, & quę ad publicam administrationé, hominumq́ue vitã pertinent, ex vsu rerum in primis videtur acquiri. nisi enim qui multorum annorum experientia edocti; complurium negotiorum exercitatione assuefacti; prudentissimorum hominum consuetudine instructi; variarumq́ue gentium, ci-
uitatum

uitatum, & institutorũ cognitione eruditi, rerum maximarum vsum percalluerint, prudentes appellari nulli vnquam poterunt. propter hanc causam Aristoteles adolescentes mathematicos potius, quàm prudentes esse affirmat posse. Præstantissima verò hęc virtus Prudentia necessaria omnino est omnibus iis, qui legationis onus obeundæ suscipiunt; & ita necessaria, vt si mandatum sit id munus imprudẽtibus hominibus, principes quidem maximis, grauissimisq; de rebus deliberantes, summam aliquando rerũ in discrimen possint adducere. Legati enim oculi, atque aures principum existimantur; ex quorum iudicio sæpe consilium capiunt principes ipsi, in difficilimis deliberationibus. Iccirco legatum nostrum facimus in primis prudentem, vt idoneam cognoscat opportunitatem rerum agendarum; vt rationem habeat temporum, & naturæ principis, ad quẽ sit missus; vt longe in posterum futura prospiciat, vt deniq; in maximi ponderis actionib⁹ degustare hominum mentes, perspicere voluntates, & ad intimos etiã sensus sciat facile penetrare. Ac quôniam aliorũ pręcipue exemplo, prudentes in dies euadũt homines; id esse adeptum legatum volumus ex peregrinatione, in qua multum tempus ante consumpserit, atque ita peregrinat⁹ sit, vt externos mores, diuersas ciuitates, & administrationum genera diligentissime animaduerterit. Sint igitur ab illo mul-

tæ regiones, multæq; prouinciæ terra, mariq; peragratæ; non enim satis habet prudentia à litteris adiumenti, nisi ad eã accesserit vsus rerũ, qui nõ aliunde facilius, quàm ex longa peregrinatione comparatur. Qui multa vidit, legit, auribus accepit, qui peragrauit cunctã Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Græciã, omnes deniq; partes Europæ, complures Asię; qui in iisdẽ regionibus notauit instituta, vrbes, leges, imperia; eruditissimos viros cognouit, nobilissimos quosq; est allocutus, prudentiam ex his tamquã è fonte hauserit necesse est. hinc sapientissimus est habitus Homericus Vlysses, quem peregrinatio, aliorũ casus, & euentus, atque vsus ipse rerum instituit; si quidem hæ sunt tres humanæ vitę duces præstantissimæ. Quia verò prudentia maximè versatur in iis, quæ in consultationẽ, & deliberationem cadunt, prudentis maxime officium esse dicim⁹ rectè deliberare, in quo quid possit accidere in vtrãque partem, considerandũ est. Prudens igitur erit legatus noster si multo ante prouidebit ea, quæ possunt aliter euenire, si de iis omnibus recte deliberabit; si in omni cõsilio capiendo ea sibi primum proponet, quæ honesta, & vtilia suo principi futura sint, in quo maxime requiritur circunspectio quædam, accurata consideratio, summaq; diligentia. nunquã autem moueatur aliqua cupiditate, seu metu; nihil amori tribuat, nihilq; odio in aliquẽ; nullis propriis cõmodis

dis consulat, sed publicæ tantũ vtilitati seruiat. Atq; omnis quidem ipsius cura euigilet in eo, vt nihil improuisum illi accidat; quicquid accidere possit, præmeditetur; ac cognoscat, & inuestiget omnia, ad quæ plurimũ semper studii conferat. nihil enim est, quod maiores habeat suspiciones, quàm imperia. Et propter hâc causam summa tum prudentia, tum diligentia adhibenda est in negotiis, atq; in iis rebus omnibus, quæ ad publicas actiones quoquo modo pertinent. Vt igitur perfecte, planeq; prudens dici queat legatus, quem quærimus, in eo sint prudentiæ comites diligentia, solertia, iudiciũ, memoria, & cõmoditas quędam ingenii, quæ δεξιότης appellatur à Græcis, quam in agẽdis pręcipue negotiis desideramus. diligentem vocabimus, si sit paratus ad omnia, quæ intelligat esse è Rep. si ad causam publicam sustinendam sit animo, & cõsilio promptus, à qua oculos nunquam deiiciat; si in vnum illud incumbat, hanc vnam rem spectet, ne quid detrimenti Resp. capiat; diuturnis laboribus, maximisque periculis nullo modo parcat, sed maneat potius quasi in vigilia quadam perpetua; atq; omne studium, curam, cogitationem huc potissimũ conferat. Ea cognoscat, & obseruet, quæ spectant ad principis, ad quem missus erit, vires, & potentiam, ditionem, & imperium; vectigalia, omnemq; formam administrationis; atque eorum maximè sibi animos conciliet, qui sum-

mum in aula locum teneant, quorũ opera vti consueuerit princeps magnis in rebus. Cyneam Pyrrhi Regis legatum ad Romanos, quòd tantam diligentiam adhibuerit; vel tanta potius memoria fuerit, vt Senatorũ vnumquęmq; in salutationibus appellaret nomine, historiæ mirabiliter laudant. Is autem in institutis Romanis cognoscendis euigilauit, sic, vt in renunciatione legationis, Senatũ Romanum dixerit multorum Regum sibi consessum videri. Solertem vero legatum nominabimus, id est, acerrimo virum ingenio, & industria, si sit acutus ad ea excogitanda, quę conducere suo principi videbuntur, in quibus gerẽdis inire quoq; rationẽ sciat, qua facile possit quodcunque voluerit adipisci. Industriam in agendo, in conficiendo celeritatem adhibeat necesse est; aliquando autem, si opus erit, & res ita postulet, artificium excogitet, quod faciet is, in quo sit acumen ingenii, & perspicacitas. Excellentis cuiusdã ingenii, summæq; grauitatis fuit illud Cn. Pompilii, qui cum à Senatu Romano legatus esset missus ad Antiochum Regẽ, vt Ptolemæum persequi bello desisteret; atque Antiochus ipse, mora interposita, rem distulisset, exigui pręscriptione temporis, omnia quæ voluit, obtinuit. Quid autem erit de Quinto Fabio dicendum, qui in Senatu Carthaginiensium se bellum, & pacem in sinu afferre affirmauit? Profectò multa legato accidunt impro-

uiso,

uiso, vel præter opinionem, in quibus abiecta omni cunctatione, dicendum aliquid, siue responsum dandum videtur; vel coniectura, aut iudicium faciendum est alicuius rei. Nisi autem sit ille sagax, in errores maximos potest incidere. Mihi quidem sagaci homine, si optima sit mente præditus, nihil videtur esse melius; sagire enim est acutè sentire, id est, ante quàm oblata res sit; qui autem pręsagit, id est, pręsentit in posterum, diuinam quandam habet vim, qua & statim percipit omnia, & repente eligit quod est melius, aut honestius, aut vtilius. cognitas autem res illi efficit intelligentia, scientia, iudicium. De iudicio vero legati non est cur à nobis hoc loco dicãtur multa. nam cum prudentem illum facimus, & acre, & graue iudicium illi necessario tribuimus: Ratione autem primum, non sensu iudicet ea, quæ eueniunt; fallit enim plerunque sensus, cuius non est exquirenda fides sine ratione; ad cuius certã quasi normam res omnes sunt perpendendę. Cum prudentia coniunctam esse memoriam paulo ante dicebamus; prudentia enim multarum rerum memoria quædam est. Memoria igitur primum vigeat legatus noster, ne clarorum res gestas virorum memorabiles; ne actiones, seu verba principum illi ex animo vnquam excidant: vt sciat quid, quatenus, & quomodo dicturus sit; vt recordetur quid respõderit; vt quę secum commentatus sit, verbis eisdem memo-

riter reddat. Multum enim refert in rebus gerendis id præmeditari, quod volumus ornate, prudenter, enucleate dicere. Legati vero oratio grauis, ornata, illustris omnino sit, qui quidẽ vtatur breuitate, quoad fieri possit, nihil tamen prætermittat, quod sit necessarium; vbertate enim orationis, & copia principibus viris nil solet esse molestius. Ac Spartiatæ quidem Samiorum legatis, qui copiosissimam orationem habuerant, responderunt, se oblitos esse ea, quæ in principio orationis recitauerant, & propter hanc causam vltima quoque minime percepisse. Prudentiam sequitur ingenii cõmoditas, quæ in agendis negociis maxime perspicitur. hoc autem ornamento qui erit præditus, maximi ponderis negotia trãsiget; & acerbitatem multorum superabit. Caueat igitur legatus in primis, ne importunitate, vel audacia, seu verborum impetu quodam, ac temeritate, principis animum, quod summæ leuitatis est, ira incendat. hinc enim multa sæpe mala orta sunt, multæ suspiciones, inimicitiæ, bella denique teterrima, & periculosissima. Eorum enim animi, qui rerum potiuntur, maxime solent esse elati, & vehementes; ac difficile est, vt sic affecti placari breui tempore possint. Quãtum igitur pondus debeat esse in verbis legati; quanta in eodem circunspectio; quanta grauitas, quàm nihil non consideratum ex ipsius ore exeundum, satis iam mihi videor ostendisse:

ac perspi-

ac perſpicuum quidem omnino eſſe exiſtimo, dum ipſas prudentiæ partes quæro, prudente legato nihil eſſe Reip. ſalutarius, nihil laudabilius. Nos autẽ in primis in ALOISIO MOCENICO equite ampliſſ. viro omnia eſſe facile perſpeximus, quę cadere in hominem prudentiſſimum poſſunt. Nam in difficilimis negotiis, quo tempore apud Cæſarem, & Pont. Max. legationem obiuit, tam ſapienter agebat cum principibus viris; ſic erat in omni officio diligens, vt, ſuperatis impedimentis quibuſcunque, omnia tandem facile conſequeretur. Nihil autem Germanico bello, quod ille præſẽs viderat, accidere videbatur poſſe, quod ipſe diuina quadam ingenii vi, ante non prouideret. Idem ego veriſſime poſſum affirmare de clariſſimo viro *Marco Antonio Barbaro*, in quo quidem ſingularem prudentiam, &acerrimum iudicium nouerunt omnes. Quid enim ipſius officio primum conueniret; quid Regis, apud quem legatus erat miſſus, maieſtas; quid Reip. dignitas poſtularet, optime intelligebat. Cum vero formidoloſiſſimo inteſtino bello, propter ciuilis diſcordiæ flammam, & religionis diſſidium, flagraſſet cuncta Gallia, quibus quidem periculis nos interfuimus, dum ſerperet in regno florentiſſimo infinitum malum, circunſpexit ille multo ante omnes procellas, quæ impendebant. Hæc ego tam illuſtria duorum prudentiſſimorum legatorũ, apud quos

sui per multos menses, & quos summa semper obseruantia colui, exempla ponenda duxi, cum de præstantissima illa virtute verba facerem, quæ sic legati propria, & præcipua esse debet, vt sine ea legatus esse nullo modo queat. Sed iam loci huius finis sit. Sequitur vt de *Fortitudine*, sicut erat propositum, dicendum sit. hæc enim virtus est maxime propria legati, qui se periculis omnibus, si res ita postulet, offerre pro suo principe, proque patria debet; qui sępe in laboribus, doloribusque versatur, quorum contéptio ipsa videtur esse fortitudo. nisi enim qui animi excelsi magnitudinem, in adeundo periculo; in labore, aut dolore patiendo; vel potius in oppetenda morte præ se tulerit, fortis nullus prorsus erit. Sed consideratam intelligo susceptionem periculorum, laborumque perpessionem; atq; honestam ipsam mortem, quæ pro patriæ salute, pro legibus, pro principis dignitate, pro religione sit potissimũ reddita. Immortales quidem apud Romanos decreti sunt honores omnibus iis, qui in bello, aut in legatione fortiter mortem obiissent. Est igitur legato nostro in primis retinéda constantia, firmitas animi, dignitas, in rebus asperis, & formidolosis; quas quidem nullo modo extimescat, sed in iis conseruet stabile iudicium, repellat omnem metum, casus ferat sapienter aduersos; ac nihil vnquam timido animo, demisso, fractoq; faciat. Sed quoniam co-

mites ſunt fortitudinis *conſtantia*, *magnitudo animi*, *patientia*, *grauitas*, *humanarum rerum deſpicientia*, legatum volumus eſſe conſtantem, magnanimum, patientem, grauem, humana omnia contemnentẽ. C. Fabricius ad Pyrrhum Regem legatus non perturbatus elephante, qui miſſus à Rege fuerat ad eum terrendum. Non debet igitur legatus noſter vllo terrore, vllis vnquam minis, aut aliqua denunciatione periculi commoueri, ſed fortiter ferre quod euenerit, atque in ipſis rebus gerendis admirabilem animi tum firmitatem, tum præſtantiam perpetuo retinere. Diximus paulo ante, nullo metu frangi debere legatum, quem fingimus, vt ſit fortis, & conſtans, nunc vero nulla eundem cupiditate incendi affirmamus, vt ſit moderatus, ac temperans. non enim eſt conſentaneum, vt qui inuictum ſe præſtiterit à timore, à labore, à periculis, idem à voluptate, à libidine, ab intemperantia vincatur. Nos igitur legatum volumus eſſe præcipue temperantẽ, id eſt, omnes cupiditates continere. turpe eſt enim homini in ſumma dignitate conſtituto, qui publicam ſuſtineat perſonam, molliter, & delicate, libidinoſe, & incontinenter viuere. continentiæ quidem laus requiritur in omni victu, atque cultu. Ac ſi luxuria cuicunque perſonæ videtur eſſe turpis, legato certe fœdiſſima eſt; minimeque digna hominis præſtantia. nam præterquam quód eſt ipſa libido mi-

niſtra omnis ſceleris potentiſſima, à recta rati-
one, & à tota mente hominem deducit, qui ni-
hil poſtea decore, aut conſtanter facit; nihil ap-
paret in eo ingenuum, nihil pudicum, nihil
moderatum. Legatus autem noſter domitas
primum libidines habeat, cupiditates omnes
coerceat, atque eſſe abſtinentem, voluptatibus
corporis non eſſe deditum, vel potius ſe ipſum
vincere, quibus rebus multitudinis beneuolé-
tiam conciliamus, præclarum putet. Se vero
ipſum legatus quidem vincet egregie, quod vt
rariſſimum ſemper fuit; ſic admirabile quoque
omni tempore, ſi vacabit perturbationibus a-
nimi; id eſt, turbidis, concitatisq; moribus ipſi
rationi aduerſantibus; ex quorum ſedatione
vera profecto laus oritur, veraque tranquilli-
tas, quæ beatam ſine dubio vitam efficit. Duæ
autem ſint affectiones maximę, duo animi mo-
tus præcipui, ad quos cohibendos omnem o-
peram, ac diligentiam conferat neceſſe eſt is,
qui legationem ſuſcepturus aliquãdo ſit. nem-
pe ira, & ambitio: ira enim in primis ipſa inimi-
ca conſilio eſt; cum qua nihil vnquam aget cõ-
ſiderate legatus, ſummamque leuitatem præ ſe
feret, vnde manabit odium, atq; contemptio.
huc accedit, quòd per iram facere aliquid, aut
dicere fortaſſe poterit, quod magnum detri-
mentum ſit Reip. allaturum. procul igitur ab-
ſit ira, ac, ſi opus erit; cum aliquo vehementer
agat, non tamen iracunde. Ambitio vero per-
niciosiſſima

niciosissima legato omnino est; cum enim is incidit in cupiditatem honorum, imperiorum, dignitatum, statim obliuiscitur æquitatis, publici commodi, officii denique sui: ad res iniustas facillime impellitur, atque etiam fidem, quam præstare patriæ, suoque principi maxime debet, facile violat, cupiditate imperandi: quo scelere, ambitione lapsos, complures legimus esse contaminatos. Et propter hanc causam ambitiosũ nolumus vllo pacto esse legatũ, in quem pœna grauissima est in hac Republica à maioribus nostris sapienter constituta, si aliquem in legatione dignitatis gradum aliquodve præmium, aut beneficium acceperit. Sunt igitur omnium affectionum flammæ legato restinguendæ, cui danda est quoque opera, ne elatus inani lætitia temere gestiat, ne dolore vnquã opprimatur, ac ne metu aliquo fractus, seu debilitatus videatur: quibus omnibus animi morbis mederi, ac perturbationibus moderari, ratione dominante, optime, accuratissimeque poterit. Hæc, vt breuissime potui, de perturbationibus animi explicaui; nunc reliqua persequar, quæ sunt in promptu. Ac primum modestia ornatum esse debere ostendam legatum nostrum. hæc enim virtus per se quidem laudabilis, & amabilis est; contra vituperabilis, & odiosa superbia. Modestissimis igitur moribus præditus sit ipse legatus; superbiam fugiat, arrogantiã, insolentiam: se in potestate

nõ efferat; nõ ſe iactet inſolẽtius, vitetq́; oſtentationem ingenii, in quam odium facile concitatur. Solet enim ingenii arrogantia potiſſimum eſſe moleſtiſſima. Præterea vero caueat, ne aſſentatoribus patefaciat aures, nec ſe adulari vllo modo ſinat. multi enim in aulis principum reperiuntur, qui ad iſtam artem eruditi, legatorum ædes frequentent, ac cum loquantur ad voluntatem, blandi ſermonis artificio, eorum gratiam aucupatos eſſe opinentur. Legati quidem mores & modeſti, & moderati debent eſſe; ſermones vero tum graues, tum etiã aliquando faceti, ac nulla ex parte rudes. Grauis in primis oratio legati ſit, diſtincta, ornata, plena ſentẽtiis, ſic, vt ſummo viro digna videatur. nam cum mentis cogitata verbis exprimere nobis datum ſit, ex ſermone ipſo iudicium plerunque facimus, quo modo cuiuſcunque animus ſit affectus. eſt enim ſępe talis oratio, qualis homo eſt. Iccirco Epictetus ille Stoicus recte fortaſſe monebat, *aut ſilendum, aut grauibus de rebus eſſe loquendum.* Nos autem legatum ipſum facetiis minime priuamus. multis enim grauiſſimis, & clariſſimis viris, multa in ſeueritate non defuit comitas, qua quidẽ mixta grauitas eſt multo laudabilior. Facetiis vero ipſis, & ſalibus quandoque ſic vtatur legatus, vt dicacitatem magnopere fugiat: non enim talem virum decet ſcurrile illud moroſum genus. caueat autem, ne repente riſus erumpat; quòd ſi ridere

dere concedimus, cachinnationem vituperamus: videat quoque, ne quid insulse dicat, aut frigide, ac rationem semper habeat temporis, loci, & personarum. Ad spectacula, & theatra raro accedat; ac si forte intersit legatus, abstineat á clamore, de iis, quæ facta sunt, multa ne dicat, ne videatur admiratum esse ludos. Etenim illud est in primis legato animaduertendum, vt fere nunquam videatur affici admiratione, vel obstupescere; admiratio enim oritur ex ignoratione causarum, in qua penitus versari turpe est homini, qui magni ponderis actiones in omni vita susceperit. Quoniam præter ceteras virtutes, & ornamenta, quæ in legato nostro desideramus, eundem eximia quadam liberalitate facimus, sine qua hoc tam graui dignum nomine minime putamus; volumus ipsum esse opibus affluentem, vt liberalitate vti maxime possit. Diuitem profecto legatū facimus, multis de causis: nā si pauper sit, prçterquàm quòd spendide ac magnifice se gerere nunquam potest; facile in illum cadit aliqua suspicio, quæ perturbat animum principis. Hinc Scipio Æmilianus, neq; Ser. Sulpicium, neq; Aurelium legatum mitti differebat, cum diceret, *alterum nihil habere*, *alteri nihil esse satis*; quibus verbis inopiam Sulpicii, & Aurelii auaritiam notauit. Qui igitur inexhausta auri auiditate expleri nūquam possunt, nullo modo legandi sunt: tantam enim personam non recipit auaritia, ani-

miq; angustia, qui pecuniæ potius iudicet esse habendam rationem, quàm gloriæ. Quapropter summa illa animorum conciliatrix liberalitas, singularis beneficentia in legato potissimum requiritur. hac enim vna diuina virtute omnium animos ad beneuolentiam alliciet; complures autem sibi in perpetuum deuinciet. hinc facile poterit certo omnia scire, quæ agentur; mirificus enim concursus est futurus honestissimorum hominũ ad legati domum, si ipsius liberalitas latius in aula patuerit. Res est quidem vna maxime laudanda liberalitas, cui⁹ splendore præditus nisi legatus sit, statim desinit esse legatus. Ego vero quos cognoui, & quib⁹ cum diu vixi, liberalissimos, munificentissimosq; legatos, ALOISIVM, MOCENICVM equitem; ac MARCVM ANTONIVM BARBARVM non possum hoc loco non summis ad cœlum laudibus extollere. Alter enim Romæ primũ, deinde in Germania, in omni sumptu faciendo splendidissime se gessit: alter vero in Gallia magnificentiam, & splendorem quẽdam rebus in omnibus præ se tulit: cuius rei argumenta, præ ceteris, fuerunt munera, quibus honestos sæpe viros donare vtriq; soliti erant. Liberalem legatum, munificũ, beneficũ prorsus esse debere ostẽdimus, vt sibi omnium hominum beneuolentiam conciliet: nunc autem reliqua, quib⁹ id perfecte, cumulateq; cõsequi possit, patefaciemus. Mirifice quidem valet ad colli-

colligendã gratiam, formæ dignitas, quam pręcipue in legato nostro desideramus. nã ſi imago animi vultus eſt; eum virtute, & humanitate ornatum iudicabimus, quem vultu quoque decorum aſpiciemus. Apud exteras vero gentes, ex vnius prope hominis figura, de ciuitatibus, & locis, quæ à quibusq; incoluntur; deq; ceteris hominibus coniectura fit. Sit igitur in legato compoſitio membrorũ, ac conformatio quædam totius corporis; in quo nihil appareat deforme, nihil debile, aut imbecillum: ſed firma etiam ſit, atq; integra valetudine, vt ſuſtinere labores, ac legationis incommoda perferre facile queat. Corpus enim bene conſtitutũ ſit oportet illi, cui longitudo itineris, aſperitates viarum, nauigandi difficultates perpetiendæ ſunt. Ac quoniam hoc vnum potiſſimum ſpectamus, vt legatus noſter diligatur vbique gentium; volumus eũ prorſus humanitate excellere; quæ quidem humanitas cum grauitate coniuncta ſit. Humaniſſimũ hominẽ, ſuauiſſimis moribus, ſingulari benignitate, ſummaq; grauitate præditũ fingimus, cum legatum dicimus; eum enim virũ exprimimus, quẽ propter admirabiles ipſius virtutes, diligere cogantur omnes. Incredibile ſane dictu eſt, quãtopere cõcilient animos hominũ comitas, affabilitasq; ſermonis: quę duę res quantã auctoritatẽ; quot victorias; quot honores attulerint Cyro, illi facile cognoſcere potuerũt, qui tanti Regis vitã,

& disciplinam, Xenophontis in libris perlegerũt. Quare ipsa fama, & opinione humanitatis, beneficẽtiæ, liberalitatis, mirifice legatus multitudinis amorẽ excitabit; præsertim si facilem quoq; in hominibus audiendis se præbuerit. Vnde & beneuolentiã omnium, & laudem eximiam in patriam reportabit; præter quã quidẽ laudem nihil sibi expetendũ in vita cogitet. Nã si hac vna spe laudis, & gloriæ, tot clarissimi viri Mutii, Decii, Fabricii, Curii, Scipiones ad res præclare gerendas, ad mortẽ ipsam oppetẽdam incredibiliter incẽsi sunt: quid est cur nos aliud quicquã cogitemus, quàm quod præclarũ, quod honestũ & laudabile, id est, quod beatũ plane sit? Hactenus legati nostri animũ firmissimis virtutum omniũ præsidiis muniuimus; amplissimis honoribus legatũ ipsum decorauimus; omni genere laudis cumulauimus; omnia denique eidẽ ornamenta tribuimus, vt armatus cõtra omnẽ fortunam, tã grauem personam sustineat; vt eũ vereantur, & diligãt omnes populi; vt plurimi faciant principes; atq; etiam vt apud omnes nationes quã honorificentissime excipiatur; omniq; honorum genere, vbicunq; terrarũ, admittatur. De his vero, quæ spectant ad ipsam legati personam omni virtute, omnique laude honestandam, satis fere diximus.

Finis.